

mibi; ille tua ora plasmavit; ille tua membra distinxit, ille mea orata suscepit, ejus templo, ejus obsequio te antequam nascereris, sacravi. Non parentibus, non tibi, sed Deo natus es, cujus antequam de vulva matris exires, esse cepisti. Et omnes quidem illius sumus; sed tamen tu specialiter promissus Domino, redderis, ego quasi Anna promisi ut omnibus vite tue diebus ac noctibus a conspectu t'omni non recedas. Tu exequere.» Concludit D. Ambrosius: «Egrigia, ait, semina, que sibi nihil reliquit, totam quod habuit Deo obtulit; ejus vita, institutio discipline est, et quedam formula castitatis, bono proposito et meliore magisterio.»

Audi et S. Bernardum, *epist.* 110, parentes alloquentem: «Si filium vestrum Deus facit et suum, quid vos perditis? aut ipse quid perdit? fit de divite ditior, de nobili generosior, clarior de illustri; et quod his omnibus majus est, sanctus de peccatore; sed vos non perditis eum; quin potius multos per eum acquiritis vobis filios; quotquot sumus in Claravalle, ipsum in fratrem, vos in parentes recipimus.»

CUNCTIS DIBUS. — Lyranus censet Samuelem in templo ministrasse Deo usque ad annum etatis quinquagesimum duxerat; illo enim Levite quasi emeriti libertate donabantur, nec amplius in tabernaculo servire tenebantur, ut patet *Num.* cap. viii, vers. 25. Verum id repugnat huic loco; unde alii passim censent eum in templo servisse Deo per omnem vitam. Ita Philo, lib. *De Somniis*, in fine, S. Augustinus in *Psalm.* xcviij, S. Hieronymus, in cap. xlv *Ezech.*, B. Petrus Damianus, lib. v, *epist.* 9, Chrysostomus, hom. 4 in *Acta*, quem audi: «Considera Samuelem, qui post quadraginta annos cum populi rem administrasset, tamen adhuc nutriebatur in templo.»

Illic Patres docent summam curam parentibus adhibendam esse in educatione puerorum, ipsosque pueros a teneris se virtuti Deoque dicere de-

bere. Audi inter alios S. Chrysostomum in *Psalm.* xiv, querentem cur is et alii inscribantur in *penem*, ac respondentem: «Quoniam, inquit, docet de justitia ac reliquis virtutibus; qui autem de his docet, non debet in finem vite sadere hęc, sed ab initio et ab ipsis incunabulis.» Et paulo post: «Si, inquit, nullus vestrum vult possidere servum senem, quanto magis Deus vult adulescentiam, et tanquam intactam virginem eam sibi jungit; ut ejus vite primitias ambiat, ne quis eum juventutem peccato exhauserit, languidam et enervatam senectutem virtuti reservet, et vite faciem temperet sapientia.»

Et Clemens Alexandrinus, lib. I *Pedag.* cap. v: «Quemadmodum, inquit, patres et matres libentius vident equorum quidem pullos, boum vitulos, leonum catulos, cervorum hinnulos, hominis puellum; ita et universorum Pater eos recipit, diligit ac defendit.»

Plura in hanc rem congerit hic noster Mendoza. Denique quod dixit Plato, eos qui arte aliqua vel scientia eximii evadere volunt, a puero eam exercere debere, id varius est in studio virtutis et sanctitatis. Unde Sancti eximii a puero sanctitati se dederunt, ut Samuel, S. Joannes Baptista, S. Nicolaus et alii.

Porro votum hoc matris non aretabat Samuelem, quin grandior factus libere posset et templo discedere, locumque alium et statum vite diligere, ut docet Lessius, tract. *De Voto*, dub. 10. Voluit tamen Samuel matris votum servare, et ratum facere per omnem vitam.

ET ORAVIT. — gratias Deo agendo, et cantum sequens, cap. ii, canendo; pars enim prima orationis debet esse Dei laus et gratiarum actio, ut docet Paulus. Hinc laus subinde sumitur pro oratione, ut *Thren.* cap. ii, vers. 19: «Consurge, lauda in nocte.» Et *Jeremias* cap. vii: «Tu ergo noli orare pro populo hoc, neque assumes pro eo laudem.»

## CAPUT SECUNDUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

Anna ob natum Samuelem exultat in Deo hymnum concinit, simulque prophetat de Christo. *Mois.* vers. 12, narratur peccata filiorum Heli. *Inde.* vers. 18, Samuelis ministerium, et Anna ab Heli benedicta parvis quinque prolum. Denique, vers. 22, Heli corripit filios, sed nimis leniter: unde, vers. 27, a Deo reprehenditur per Prophetam, qui idcirco obventuras, et tam suas, quam filiorum et posterorum clades asuntiat.

1. Exultavit cor meum in Domino, et exallatum est cornu meum in Deo meo; dilatatum est os meum super inimicos meos; quia lætata sum in salutari tuo. 2. Non est sanctus, ut est Dominus: neque enim est alius extra te, et non est fortis sicut Deus noster. 3. Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes: recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, et ipsi præparantur cogitationes. 4. Arcus fortium superatus est, et infirmi

accincti sunt robore. 5. Repiet prius, pro panibus se locaverunt: et famelicis saturati sunt, donec steriles peperit plurimos: et que multos habebat filios, infirmata est. 6. Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit. 7. Dominus pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat. 8. Suscitavit de pulvere egenum, et de stercore elevavit pauperem, ut sedeat cum principibus, et solum glorię teneat. Domini enim sunt cardines terrę, et posuit super eos orbem. 9. Pedes sanctorum suorum servabit, et impij in tenebris conticescent, quia non in fortitudine sua roborabitur vir. 10. Dominum formidabunt adversarii ejus, et super ipsos in cœlis tonabit: Dominus judicabit fines terrę, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui. 11. Et abiit Elcana Ramatha in domum suam: puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdotis. 12. Porro filij Heli, filij Belial, nescientes Dominum, 13. neque officium sacerdotum ad populum; sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, et habebat fuscinulam tridentem in manu sua, 14. et mittebat eam in lebetem, vel in caldarium, aut in ollam, sive in cacabum: et omne quod levabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi; sic faciebant universo Israeli venientium in Silo. 15. Etiam antequam adolere adipem, veniebat puer sacerdotis, et dicebat immolanti: Da mihi carnem, ut coquam sacerdoti; non enim accipiam a te carnem coctam, sed crudam. 16. Dicebatque illi immolans: Incendatur primum juxta morem hodie adeps, et tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua. Qui respondens aiebat ei: Nequaquam; nunc enim dabis, alioquin tollam vi. 17. Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino; quia retrahebant homines a sacrificio Domini: 18. Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer, accinctus ephod lineo. 19. Et tunica parvam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus, ascendens cum viro suo, ut immolaret hostiam solemnem. 20. Et benedixit Heli Elcanę et uxori ejus; dixitque ei: Reddat tibi Dominus semen de muliere hac, pro fenore quod commodasti Domino. Et abierunt in locum suum. 21. Visitavit ergo Dominus Annam, et concepit, et peperit tres filios et duas filias; et magnificatus est puer Samuel apud Dominum. 22. Heli autem erat senex valde, et audivit omnia que faciebant filij sui universo Israeli; et quomodo dormiebant cum mulieribus que observabant ad ostium tabernaculi; 23. et dixit eis: Quare facitis res hujuscemodi quas ego audio, res pessimas ab omni populo? 24. Nolite, filij mei; non enim est bona fama, quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini. 25. Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos. 26. Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, et placebat tam Domino quam hominibus. 27. Venit autem vir Dei ad Heli, et ait ad eum: Hęc dicit Dominus: Numquid non aperte revelatus sum domui patris tui, cum essent in Ægypto in domo Pharaonis? 28. Et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, et ascenderet ad altare meum, et adoleret mihi incensum, et portaret ephod coram me; et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israel. 29. Quare calce abjecisti victimam meam, et munera mea que præcepi ut offerrentur in templo; et magis honorasti filios tuos quam me, ut comederetis primitias omnis sacrificij Israel populi mei. 30. Propterea ait Dominus Deus Israel: Loquens locutus sum, ut domus tua et domus patris tui ministraret in conspectu meo usque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc a me; sed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contempnunt me, erunt ignobiles. 31. Ecce dies veniunt, et præcidam brachium tuum, et brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua. 32. Et videbis emulum tuum in templo, in universis prosperis Israel, et non erit senex in domo tua omnibus diebus. 33. Verumtamen non auferam penitentiam virum ex te ab altari meo; sed ut deficiant oculi tui, et tabescat anima tua: et pars magna domus tuę morietur, cum ad virilem ætatem venerit. 34. Hoc autem erit tibi signum quod ventu-

rum est duobus filiis tuis, Ophni et Phinees; in die uno morientur ambo. 35. Et suscitabo tibi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum et animam meam faciet, et edificabo ei domum fidelem, et ambulabit coram Christo meo cunctis diebus. 36. Futurum est autem, ut quicumque remanserit in domo tua, veniat ut ore pro eo et offerat nummum argenteum, et tortam panis, dicatque: Demitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam panis.

Vers. 1.

1. EKULTAVIT COR MEUM IN DOMINO. — Est hoc Annae canticum, vel ut S. Augustinus vocat, «hymnus», quo de praeiis et praesentibus beneficiis gratias agit, ac de futuris in Christo prophetat vers. 5 et 10. Partim ergo est canticum Eucharisticum, partim prophetia, ait Theodoretus, Procopius, Abulensis, licet S. Augustinus, lib. I *De Civit.* cap. 17, velit totum esse prophetiam de Christo et Ecclesia, quod in sensu allegorico verum est. Anna enim, inquit Theodoretus et Procopius, quia prophetam concepit, prophetiae quoque gratiam participavit, sicut et Elizabeth et B. Virgo.

Unde canticum Zachariae ob natum Joannem Baptistam, et canticum B. Virginis ob conceptum Christum, «Magnificat anima mea Dominum», etc., huic Annae canticum persimilia sunt, ac subinde ad verbum cum eo consonant, ut patet ea inter se conferenti.

Audi quid de Cantico scribat S. Bernardus, serm. 1 *in Cant.*: «Non est strepitus oris, sed iubilus cordis, non sonus labiorum, sed motus gaudiorum; voluntatum, non vocum consonantia, non auditur foris, nec enim in publico personat; sed sola quae cantat audit, et cui cantatur, id est sponsus et sponsa.

Ex dielis constat canticum hoc inspiratum fuisse Annae a Spiritu Sancto esseque partem Sancto Scripturae.

ET EXALTAVIT EST CORNU MEUM IN DEO MEO. — «Cornu», id est fortitudo et gloria mea; utriusque enim symbolum est cornu; boves enim, cervi et rhinoceros in cornibus habent summum robur, decus et gloriam: hinc et coronae regiae earumque radii cornua vocantur, uti ostendit Pierius, *Hierog.* 7. Samuel enim coronam regiam dedit Sauli et Davidi. Sensus est, quasi dicat: Deus me imbecillam et abjectam, imo et sterilitatem infamem et conviciis Phenennae expositam fecit robustam et gloriosam, per miraculum me fecundando, danctoque filium Samuelem, qui erit robur et gloria tam mea quam totius Israelis. Ita Abulensis, Vatablus et alii. Unde S. Hieronymus in *Quaest.*, per cornu accepit filium Samuelem, qui ex Anna prodierat, sicut cornu prodit ex capite rhinocerotis. Sicut enim rhinoceros suo cornu ventilat et dissipavit Philistaeos hostes Israelis. Unde S. Gregorius: «Quae ergo», inquit, exaltatione, cornu in Deo sustollitur, Deum suum singulariter fatetur; quia summa illa infusio divinae

dulcedinis exaltatum mentem et sui susceptibilem, et valde familiarem facit.»

DILATAVIT EST OS MEUM SUPER INVICIS MEOS. — quasi dicat: Nunc habeo quod ore meo respondeam Phenennae, ejusque filiis et cognatis, qui mei sunt emuli, mihi quoque sterilitatem exprobrant; ostentans enim meum Samuelem eis silentium imponam.

QUIA LETATA SUM IN SALUTARI TUO. — Hebraice, *Sach in salute tua*, qua me salvasti et liberasti a malo et probro sterilitatis. Ita Chaldaeus, Vatablus, Jan senius, Cajetanus. Mystice, in Christo; hic enim est salus nostra; unde Septuaginta vertunt *scripsit*, Noster salutarem vel salutarem, id est salvatorem mundi. Ita S. Augustinus, lib. XVII *De Civitat.* 14. Illic patet non esse verum gaudium in mundo, nisi in Deo et Christo. Audi S. Chrysostomum, lib. III *De Anna*: «Non quoniam salvata sum, sed quoniam per te salvata sum, propterea letor et exulto. Tales sanctorum anime de Deo qui dedit, magis quam de donis gaudent; gratiorum, hoc est, servorum, omnibus suis summi proponere Dominum; cum peccaverimus, non doleamus, quia punimur, sed quoniam Dominum exacerbavimus; etsi quid boni fecerimus, non gaudeamus propter regna caelorum, sed quoniam rem caelorum Regi gratam gessimus; mentem enim habentem gehenna quoque formidolosius est Deum offendere, et omni regno desiderabilius Deo placere.» El paulo post: «Talis erat et haec mulier, ad Deum in omnibus confugebat, et accepta gratia magis de Deo dators gaudebat.» Sic et David: «Cornu meum, inquit, et caro mea exultaverunt in Deum vivum,» *Psalm.* LXXXIII, vers. 3.

Audi S. Bernardum, *epist.* 143: «Illud, inquit, verum et solum est gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur; et quod cum possederis nemo tollet a te; cui comparata omnium aliarum juvenitatis, meror est, omnis suavitas meror est, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremo quodcumque aliud delectare possit, molestum.»

Addit Origenes de Alana: «Quoties in Deo gaudemus, toties diabolum flagellamus.»

2. NON EST SANCTUS UT EST DOMINUS. — Celebrat *Vat. 1.* Anna primo sanctitatem Dei, quia haec est primum et nobilissimum attributum Dei, ob quod ipse adoratione, omnique veneratione, obsequio, victimam et cultu dignissimus est. *Secundo*, quia Deus in Anna partu suam sanctitatem declaravit: tum quia ejus innocentiam et probitatem contra Pha-

nennam invadam defendit; tum quia fidem et omnium facile datam de prole per miraculum nascitura sancte praestitit; tum quia ei dedit Samuelem, quem facturus erat prophetam sanctissimum et sanctificatorem Israelis; quae omnia a Deo sanctitate manarunt, eum radii a sole, ejusque fuerunt dona et beneficia.

NEQUE ENIM EST ALIUS EXTRA TE. — Deus verus, per essentiam sanctus, ipsaque increata et immensa sanctitas, de qua in hymno S. Augustinus: «Tu solus sanctus,» Septuaginta vertunt, *non est justus sicut Dominus*, ubi justus accipi potest sanctus, vel potius justus, quia juste meam innocentiam a calumniantibus defendit.

ET NON EST FORTIS SICUT DEUS NOSTER. — Pro fortis hebraice est *tsur*, id est, petra, in qua contra tempestates et venatores securi tutique consistentis, juxta illud *Psalm.* ciii, vers. 18: «Petra refugium hermaeiis. A *tsur* dicta est *tor*, et Tyrus celeberrima urbs Phoenicie et munifissima, quia undique mari circumdata, adeo ut a Nabuchodonosore fuerit obsessa per tredecim annos, et ab Alexandro Magno aegre expugnata. Tyrus enim hebraice dicitur *tsur* vel *tsor*, eo quod in petra fuerit extracta, atque instar promontorii mari et tempestatibus maris fuerit opposita. Talis petra, talis *tsur*, talis Tyrus Annae et pius est Deus, ut proinde is nec homines, nec demones, nec leones, neque, nec tormenta, nec mors metuenda sunt. Audi S. Bernardum, serm. 61 *in Cant.*: «Stat martyr tripudians et triumphans, totoliceo laqueo corpore, et rimante latera ferro, non modo fortiter, sed alacriter sacrum et carne sua circumspicit ebullire erorem. Ubi tunc anima martyris? nempè in tuto; nempè in petra, nempè in visceribus Jesu, vulneribus nimirum patentibus ad introendum. Si in suis esset visceribus, scrutans ea ferrum, profecto sentiret; nunc autem in petra habitans, quid mirum si in modum petrae duraverit? neque mirum, si exul e corpore, dolores non sentiat corporis. Neque hoc facit stupor, sed amor. Substituitur enim sensus, non amittitur.»

Vers. 1.

3. NOLITE MULTIPLICARE LOQUI SUBLIMA GLORIAN-  
TES, — scilicet tu, o Phenenna, tuique filii et cognati, qui de vestra fecunditate et felicitate superbiae gloriam estis, cum mei meorumque de spectate et contempti. Pro sublimitate Hebraice est *gebaha gebaha*; Chaldaeus, *magnalia magnalia*; Regia, *altum altum*; Cajetanus, *celestitudinem existitatem*, hoc est, valde alta, celsa, magna et sublimia, quae vestras vires transcendunt. Unde alii vertunt: «Nolite loqui excelsa eminentia;» Theodoretus, «ne loquamini sublimia ad factum;» Origenes, lib. I in *Job*: «Nolite loqui superbia in superbia.»

RECEDANT (Hebraice *excedant*) VETERA DE ORE VESTRO, — scilicet veteres superbi sermones jam dicti, quibus conueversatis gloriari, mihi quoque sterili insultare. Chaldaeus pro vetera vertit *blasphemias*; Septuaginta, *magniloquiam*; alii, *verbum durum* vel

*superbum*, juxta illud Prudentii in *Psychomachia*:

Desine grande loqui, frangit Deus omne superbum.  
Alta cadunt, inflata crepant, tumefacta prenuantur.

Et illud Nazianzeno: «Utres vacuos ventus distendit, fatuos sui existimatio.» Causam subdit dicens:

QUIA DEUS SCIENTIARUM DOMINUS EST. — quasi dicat: Nolite superbe vos jactare et gloriari, quia Deus scit et praevidet omnia, tam futura quam praeterita et praesentia, illaque cum his connectit; quare ipse se vestram gloriam in ignominiam, vestram felicitatem in infelicitatem, vestram copiam in inopiam, se decernente et puniente, convertendam.

ET IPSI PREPARANTUR COGITATIONES, — quasi dicat: Deo paratae, id est aperta; cognita et praesentes sunt vestra insolentes ambitiosaque cogitationes, ut illas ipse contrariis suis cogitationibus, id est consiliis, iudiciis et decretis deprimat, obruat et castiget. Sic Deus Nabuchodonosorem gloriantem in sua Babylone, convertit in bestiam, *Daniel.* cap. iv, ac Balthasarem ejus filium in suo epulo gloriantem, describens in pariete: *Mene, tekel, phares*, eadem nocte per Cyrum occidit, *Daniel.* cap. v.

«Deus ergo scientiarum Dominus est,» quasi dicat: Deus est scientissimus. *Deus omnia novit*, ait Chaldaeus; quare ipse se tam futura quam praesentia, scilicet me antea sterilem fore fecundum, et Phenennam fore sterilem; ideoque ipse est «arbiter conscientiarum» ait S. Augustinus, lib. XVII *De Civitat.* 14, ut superbas earum cogitationes videat, damnet, premat sternatque. Deus est ipsius solis sol, illustrans sensibilium intelligentibus, ait Philo, lib. *De offerend. vict.* Unde recte admonet S. Augustinus, serm. 46 *De Verb. Domini*: «Ipse, ait, timendus est in publico, ipse in secreto. Proceedit? videris; lucerna ardet? videt te; lucerna exstincta est? videt te. In cubile intras? videt te. Ipsum time cui cura est ut videat te, et vel timendo castus esto, aut si peccaveris, quare tibi te non videat, et fac.» Et Boetius, lib. V *De Consol. Phil.*, Prosa 6: «Aversamini igitur vitia, colite virtutes; magna vobis iudicia est necessitas probitatis, cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis.»

Mystice S. Bernardus, serm. 13 *in Cant.*: «Origo, ait, fontium et fluminum omnium mare est, virtutum et scientiarum Dominus Jesus Christus. Quis enim Dominus virtutum, nisi ipse est rex gloriae, sed et juxta Annae canticum, idem ipse Deus scientiarum Dominus est. Continentia carnis, cordis industria, voluntatis rectitudo ex illo fonte manant, non solum autem, sed et si quis callet ingenio, si quis nitet eloquio, si quis moribus placet, inde est; inde scientiae, inde sapientiae sermo; thesauri siquidem sapientiae ibi omnes absconditi sunt.»

Porro Deus dicitur græce θεός a θεός, quod omnia vidat; unde Aegypti Deum appellabant ocellum mundi. Audi S. Augustinum, epist. 37 ad Fortun.: «Deus totus oculus est, totus manus, et totus pes, quia omnes videt, omnia operatur et ubique est.» Vide dicta *Ecles.* cap. xvi, vers. 16 et seq. et cap. xxiv, vers. 19.

ET IPSI PREPARANTUR COGITATIONES. — quasi dicitur: Deo cogitationes omnes hominum et angelorum patent, ab eoque diriguntur, temperantur, adimplentur, vel rumpuntur et eliduntur. Deus est qui ea quæ cogitamus, cupimus, jactamus, dirigat atque perficit, vel discutit et evertit, uti mea fecunditatis desideria adimplevit, Phenennam vero invidas et arrogantes cogitationes dissipavit et disperdidit. Hebraice pro *preparantur* כִּנְיָנוּ *kinenu*, id est ponderantur, numerantur, appenduntur, mensurantur, quasi dicitur: Deus mensurat cogitationes nostras, ac videt an nimis magnæ vel parvæ, æquæ vel iniquæ, sapientes vel stultas sint, ut sciat cuius cogitationes, quando et quomodo explere debeat, cuius non explere, v. g. Anna desideria perficere, non Phenennæ, quasi dicitur: Laudo Deum qui perficit ea quæ ego cogitavi et cupivi; in illo ergo glorior, non in me, quia sterilitatem, quam ego superare meis viribus non potui, ipse sua divina vi superavit et discussit. Hoc est quod ait Salomon, *Prov.* cap. xvi, vers. 2: «Omnes viæ hominis patent oculis ejus; spiritum ponderat est Dominus;» ubi multa hæc de re dixi.

Possunt secundo hic cogitationes non tantum hominum accipi, sed et ipsius Dei, uti vertunt Septuaginta. Deus, inquit, *preparans adinventiones suas*; et Chaldeus, *Dominus*, inquit, *super omne factum suum extendens iudicium*, quasi dicitur: Dei est perficere non tantum ea quæ nos cogitamus et cupimus, sed etiam quæ ipse de nobis cogitat et cupit; sepe enim ipse alia cogitat et vult, quam nos cogitamus et velimus, tumque facit ea quæ ipse cogitat et vult, non quæ nos; sicut hic cogitavit fecundare et exaltare Annam, non Phenennam. Unde Chaldeus vertit: *Ipsæ vobis retribuet culpam estrarum ultionem*; Theodotion, *Deus preparans exercitationes suas*, id est complens sua consilia; Symmachus, *non sunt equi Deum prætextus et excusationes*; Vatablus, *conatus ejus perficiuntur*; Pagninus, *ipsi directa sunt opera*, id est finem ad quem ab eo diriguntur attingunt. Deus enim suas cogitationes et voluntates mensurat sua omnipotentia, quæ tanta est quanta ejus voluntas et intellectus; quare omnia quæ cogitat et vult, perficere potest, et reipsa perficit; cum nos multa velimus quæ perficere nequimus. Sensus ergo est, quasi dicitur: «Scientiarum Dominus est,» quia scit tam futura quam presentia, imo ipse omnia recte justaque ordinat et disponit; ipse enim preparat cogitationes, ut scilicet insolentes et inflatos, qualis est Phenenna, deprimat; humiles vero et miseros, qualis ego fui soletur et

extollat, sicut extulit Saram sterilem depressam Agar insolenti; quare nemo superbus confidat rebus presentibus secundis, nemo humilis et miser in adversis desperet; quia Deus utriusque vias et sortes commulcat, ut hos faciat felices, illos vero infelices.

hinc nonnulli pro לו, id est et, legentes vel lo per aleph vertunt, non sunt (hominibus vel angelis) mensurabiles cogitationes Dei, juxta illud Pauli, *Rom.* cap. xi, vers. 33: «O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?»

Tropologicè Rupertus: «Scientiarum, inquit, Domino cogitationes preparantur pro munere. Si vis ab illo promereri vel impetrare scientiæ donum, non multe oblationes arretum et tantorum, sed sanctæ cogitationes ejus rei preparatorie sunt.»

hinc vide quid cogites, Deus enim non solum actiones et sermones, sed et intimas cogitationes et intentiones pervidet, easque in die iudicii toti mundo revelabit et iudicabit, juxta illud *Hebr.* cap. iv, vers. 12: «Vivus est sermo Dei et efficit, et penetrabilior omni gladio accipit, et peringens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum et discretæ cogitationum et intentionum cordis.»

Denique aliqui sic exponant: «Deus scientiarum Dominus est,» hoc est, Deus est scientissimus, quia ipse scit omnium hominum cogitationes et conatus convertere ad id quod ipse fieri voluerit; quare cogitationes hominum illi preparantur, sicut preparatur materia artificii, ut et illa faciat id quod ipse voluerit. Sic cogitationes fratrum de Josepho vendendo convertit in Josephi bonum, et exaltationem, ut scilicet fieret princeps in Aegypto; sic Phenennæ proba et maleficia convertit in laudem et decus patientis Annæ.

4. ARCUS FORITUM SUPERATUS EST (Septuaginta, *infirmatus est*), ET INFIRMI ACCINCTI SUNT ROBORE. — Hinc versus antistrophus est ille B. Virginis: «Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles.»

Predicat Anna omnipotentiam Dei ex eo quod saepe fortes fortitudine sua decesserit, ac vice versa infirmos fortes effecerit. Unde Chaldeus vertit: *Et qui erant debiles facti sunt virilitates, q. d. Deus fortes quasi viros fecit debiles quasi feminas, et vice versa debiles quasi feminas fecit fortes quasi viros, ut jam Phenennam, quæ in pariendo letifilos videbatur fortis, fecit infirmam, ut amplius non pariat, et me Annam sterilem ad pariendum fecit validam, ut pepererim Samuelum, et quinque alias proles paritura sim; pendet enim hic versus a versu sequenti: «Donec sterilis peperit,» etc. Arcum vocat roborem, potentiam, fortitudinem, quia ante inventum bombardas pugnant arcibus, ut etiam nunc pugnant infans et Tartari. Proprie vero arcum vocat linguam in-*

deem Phenennæ, quæ scommata et sannas quasi sagittas in Annam jaculabatur, quas Anna quasi infirma et sterilis tacita audiebat. Sed Deus hanc linguam et has sannas infregit, dum Annam fecundavit, itaque Phenenna validiorem effecit. Ita Lyranus, Hugo, Abulensis et Glossa.

Porro sententia hæc generalis est; unde multis agitari potest. Primo ergo S. Gregorius eam adaptat S. Michaeli ejusque angelis, ac Luciferi ejusque angelis, qui erant summi et potentissimi, præ quibus Michael et Angeli videbantur esse minores minusque potentes: «Quos Deus, inquit D. Gregorius, de cælo præcipitavit, ut in lapsis angelis disceret homo quid timeret; nam quid de aëre vase fiet, si Deus nec aureis superbie fetore plenis ignoscit?»

Secundo, Origenes, hom. *De Elcana*, hanc gnomen accomodat demonibus, qui potentissimi sunt spiritus, et hominibus, qui carnes sunt, ideoque infirmissimi: «Et tamen tu, ait Origenes, si indutus sis armis Dei, si scuto fidei munus, et galeæ salutis obiectus, et lorice charitatis, et gladio spiritus accinctus, arcus contra te potentium pro munimentis talibus infirmabitur.»

Tertio, Beda et Origenes eam attribunt Philo- sophis gentilibus et fidelibus plebeis ac simplicibus, de quibus ait Apostolus, epist. I ad *Corinth.* I: «Stulta mundi elegit Deus ut confundat sapientes.»

Quarto, S. Hieronymus in *Quæst.*, refert ad Pharaonem et Aegyptios, ac Mosen et Hebræos: Pharaonem enim potens in equis et curribus insequens Hebræos per mare Rubrum eo mersus est, cum Hebræi salvi validique exirent. Simili modo attribuit Chananeis, quos licet gigantes et bellipotentibus, imbelles Hebræi duce Josue profligarunt.

Quinto, S. Augustinus, lib. XVII *Civit.* iv, S. Gregorius, Theodoretus, Angelomus et Beda referunt ad Judæos et Gentiles. Judæi enim in lege validi, per Christum infirmi sunt; Gentiles vero per eundem erecti, et Judæis validiores effecti.

Sexto, Lyranus refert ad Pharisæos et Apostolos; illos enim nobiles, doctos et potentes per gratiam Dei deiecerunt rudes, pauperes et infirmi Apostoli: «Qui olim, ait S. Gregorius, mulierum verba immerunt, postea auctoritatem principum libertate frangebant.»

Denique Euthymius, Cajetanus et Dionysius illam adaptant superbis et humilibus; potentes enim et fortes in sua fortitudine superbiunt, infirmi vero in sua infirmitate se humiliant, Deique potentis opem invocant; unde hi a Domino, cuius ope et robore se indigere sentiunt, roborantur; illi vero robore suo privantur, quia non agnoscent illud se a Deo accepisse, et ab eo pendere: «Ut non glorietur coram Deo omnis caro,» sed omnem roborem gloriam Deo a quo datur, attribuat. Atque hæc est causa, cur Deus per infirmos majora sæpe quam per fortes operetur, ut qui «glorietur, in Domino glorietur,» ait Aposto-

lus. «Virtus enim Dei in nostra infirmitate percipitur,» II *Corinth.* xii, 9. Vide ibi dicta.

REPLETI PRIUS PRO PANIBUS SE LOCAVERUNT, ET FAMELICI SATURATI SUNT. — Huic antistrophon est illud B. Virginis: «Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes,» *Luc.* i. Vide ibi dicta. Ad litteram Deus sæpe impios opibus et cibis repletos depauperat et fame affligit, ut cogantur operas suas pro panibus lucrandis elocare, et viros suas laborando exhaurire: unde Aquila vertit, *attriverunt se*; uti fecit filio Prodigio, qui præ fame coactus fuit pascere porcos eorumque siliquas comedere, *Lucæ* cap. xii. Sic Deus ob peccata sæpe sterilitatem et famem populis immittit, ut immisit Aegyptiis totique orbi tempore Abraham, *Genes.* cap. xii, vers. 10, et tempore Joseph, *Genes.* xli, et tempore Moysi, *Exod.* i, 14, et tempore Ruth, cap. i, pios vero famelicos Deus saturavit, imo alios per eosdem pavit, ut patet de Joseph pascente Aegyptum totumque orbem, de Abraham, *Genes.* xii, de Hebræis quos per quadraginta annos aluit manna in deserto. Sic Judæos a Tito obsessos fame confecit, adeo ut matres suos filios vorarent, cum Christiani urbe egressi cibis abundarent. Sic Anna hic ob merorem sterilitatis non comedens, cap. i, vers. 7, erat famelica, sed jam merore per generationem depulso comedens, saturata et exilarata est; Phenenna vero prius leta et saturata, nunc merens, cepit cibum fastidiosè, forte etiam ipsa cum filiis ad tantam egestatem redacta est, ut cogenterur se suasque operas pro panibus congerendis elocare; hoc enim hic innuit Anna.

Mystice: Deus fideles pios sariat sapientiæ, prædicatione et doctrina verbi Dei, Eucharistia et Sacramentis, cum Judæos aliosque impios iis privat. Ita S. Ambrosius, serm. 12 in *Psal.* cxviii: «Divites, inquit, egerunt et esurierunt, quia qui antea abundabant gratia, postea tamen propter perfidiam suam egere cœperunt; qui autem pauperes erant populi nationum, jam per fidem Christi satiantur et abundant; sicut scriptum est: Edent pauperes et satiabuntur.»

Anagogice, Sanctos Deus hic jejunantes sariat deliciis æternis in celo, improbos hic se ingurgitantes torquet fame perenni in gehenna, juxta illud *Isaiæ* lxi, 43: «Ecco servi mei comedent, et vos esuriatis; ecco servi mei bibent, et vos sitiditis; ecco servi mei letabuntur, et vos confundemini.» Audi Tertullianum, lib. *De Spectac.* xxviii: «Vicius res disposita est; nunc illi letantur, nos conflictamur.» Et paulo post: «Lugeamus ergo, dum Ethnici gaudent, ut, cum lugere cœperint, gaudeamus.»

Idem, lib. *De Idolis* cap. xii: «Seculo, ait, gaudente lugeamus, et sæculo postea lugente gaudebimus. Sic et Lazarus in sinu Abraham refrigerium consecutus, contra dives in tormento ignis constitutus, alternas malorum et bonorum vices æmula retributione compensant.»

Mystice.

Anagogice.

U. S. Augustinus, *serm. 227 De Tempore*: « Pauper, ait, beatitudo emul mendicitate, et dives supplicium facultate. »

**DOŒE STERILIS PEPERIT PLURIMOS.** — Pendet hæc sententia a vers. 4: celebrat enim nunc dei fortes infirmantis et infirmos fortificantis potentiam, ejusque quid exitum et quasi summum assignat. Idque significat *æ donec*; pro eo enim Hebr. est *ty ad*, pro quo Septuaginta vertunt, *quia*; Chaldaicus, *etiam*; Vatablus, *adeo ut*. Sensus ergo est, quasi dicat: Deus potentissimus sæpe fortes infirmat, et infirmos corroborat, *donec*, id est usque *adeo*, ut faciat sterilem, qualis ego eram, parere septem, id est multos filios; fecunda vero et filiis abundanti, qualis erat Phenenna, deinceps parvis sistat, ut fiat sterilis, imo proles jam genitas sensim auferat, aut pauperes miseræque et infirmas efficiat. Ita S. Hieronymus in *Quæst.*, Abulensis, Vatablus, Jansenius. Tradunt Hebræi quod Phenenna toti moriebantur filii, quod nascebatur Anna, ita ut nato Annæ Samuele primogenito moretetur primogenitus Phenennæ, et ita deinceps; sed hoc refutat S. Hieronymus et alii. Sic *æ donec* significat rei extremum et summum, lib. I *Reg.* cap. xxx, 4: « Planxerunt, donec deficerent eis lacrymæ. » Et II *Reg.* xxiii, 10, de Eleazar: « Percussit Philist eos, donec deficeret manus ejus. » Et lib. III *Reg.* cap. xvii, vers. 28, de sacerdotibus Baal: « Incidebant se iuxta ritum suum cultris et lanceolis, donec perfunderentur sanguine. » *Sap.* x, 13, de Joseph: « Non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum regni. »

Pro plurimos hebraice est *septem*. Unde Josephus ait Annam peperisse septem filios; verum vers. 21, tantum numerantur quinque, et additò Samuele sicut sex. Rabbin. nonnulli pro Samuele substituant duos ejus filios, ut fiant septem proles Annæ. Rursum Rabbi Salomon duos Phenennæ filios Annæ assignat, et septem habet, idque quia quoties ipsa pareret, tot es duo semper Phenennæ filii morentur. Cumque duo tantum superserent, hoc illa rogata suis precibus conservavit: at hæc sunt illorum fabule, ut in *tomit.* vocat Origenes.

Deo ergo ad litteram: Anna peperit septem, id est multos filios. Septenarius enim est symbolum multitudinis. Prophetat Anna instincta a Spiritu Sancto de filiis quos paritura erat vers. 21.

Allegorice, Phenenna significat Synagagam Judæorum, que jam parere Deo filios desiit; Anna Ecclesiam Christianorum, que plurimos ex omnibus gentibus filios Deo gignit. Unde Chaldaeus vertit, *sterilis implebitur prole*, scilicet plurima. Ita Origenes, Theodoretus, Procopius et S. Augustinus, lib. XVII *De Civit.* cap. iv.

Symbolice Cabaliste: Anna, inquit, peperit septem, quia Samuel et *שבעה scela*, id est septem, suis characteribus eundem exprimitur numerum, scilicet 377. Sublimius Philo, lib. *Quod Deus sit immutabilis*: Septenarius, ait, est perfectissime quie-

tis et sabbati symbolum; unde significat animum in Deo recumbentem et quiescentem, qualis erat Samuel: « Samuel enim, ait, in solius dei ministrorum ordinem adscitus nemini præterea serviens, ab uno et ente honestatur; quia status est septenarii animæ in Deo requiescentis, et nullis mortalibus occupatæ negotiis. »

Tropologicæ Eucherius: « Vir sanctus, ait, qualis erat Samuel, est instar multorum, quia plaris esse est apud Deum, pluraque ab eo impetrat quam nulli ceterorum, » juxta illud *Ecclesi.* xvi, 3: « Melior est unus timens Deum, quam mille filii impii. » Vide ibi dicta. Audi S. Chrysostomum, homil. 40 *ad Popul.*: « Helias, inquit, unus erat; sed totus mundus non erat dignus qui rependeretur ei. Et mundos quidem innumera millia sunt, sed non sunt millia, cum nec ad unius mensuram perveniant. »

Et Philo, lib. *De Decalogo*, querens cur Deus in singulari dicat: « Non occides; non machaberis, » respondet: « Quia quicumque Deo pareat ac legibus, æquatur frequentissimo populo, vel potius omnibus gentibus, imo mundo universo. » Rursum: « Apud homines, ait, injusta multitudo peris quam unus justus æstimat; apud Deum vero bonitas rara præfertur iniquis innumeris. »

Insuper anima peccatrix, ideoque honorum operum sterilis parit plurimos, cum peccatis multos fidei, spei, penitentiae, elemosinæ, charitatis aliarumque virtutum actus producit: ne vice versa anima sancta, que bonis operibus abundat, dum in peccatum mortale prolabitur, sterilescat adeo, ut non tantum nulla bona opera et merita pariat, sed et præterita dissipet et disperdat. Audi S. Basilium in cap. I *Isaie* ad illa: *Regionem eorum dicitur comedunt.* « Vide, ait, juvenem quæpiam a puero intra ædes educatum; alacriter et studiosè ad orationem prodeuntem, nullum transmittem beneficentiae officium, æterni illius judicii memorem, jugiter acquiescentem sermoni doctrinæ: talem denique mihi considera in fornicationem prolapsam. Quoam pacto miserabilem illum et proximo consequitur omnimoda conversio priorum laborum. Conscientia commissi facinoris non jam cum comitatur, ut se confert ad orationis locum: non idem in cætu consisti eorum qui in arcano secessu deflent. Fit hinc ad orationem cunctator. Denique sensus illius menti se inserit ineditatio ut à proposito deficiat. Denique ad omnimodam perditionem per varios errorum anfractus adducitur. » Ad hæc Origenes, homil. *De Elcana*: « Sterilis, ait, erat in me anima mea, non afferebat fructus justitiæ; nunc autem ubi per fidem Christi meruit gratiam Spiritus Sancti, et implevit eam spiritus timoris Domini, certum est quod sterilis peperit septem. » Et nonnullis interjectis: « Fecunda, ait, in propagine erat caro mea habens plurimos carnis fructus, fornicationem, immunditiam, impudicitiam, idololatram. » Hæc est

carnis nostræ numerosa progenies: sed cum venimus ad fidem crucis Christi, et mortificationem Jesu cepimus circumferre in corpore nostro, et mortificare membra nostra que sunt super terram, et exhibere ea servituti justitiæ et sobrietati; tunc fecunditas probrose hujus generationis exalta est, et hoc modo fecunda in filiis infirmata est. »

Denique, « Sterilis, ait S. Franciscus, est pauperulus, humilis sanctusque religiosus, qui generandi in Ecclesia filios non habet officium. Hic pariet in judicio multos, quia quos nunc privatis orationibus et bonæ vitæ exemplo convertit ad Christum, illius gloriæ tunc iudex adscribet. Quæ multos habet filios infirmabitur; quia prædicator vanus et loquax, qui multis nunc quasi sua virtute genitis gaudet, cognoscit tunc se nihil proprii habere in eis. » Ita Annales Waddingi anno Christi 1320, num. 30, et S. Bonaventura in Vita S. Francisci.

6. DOMINUS MORTIFICAT ET VIVIFICAT, DEDUCIT AD INFEROS ET REDUCIT. — *Primo*, cum mortuos ad vitam resuscitat; item cum animas patrum ex inferis, id est ex limbo per Christum resurgentem eduxit, ait Theodoretus, ac dum animas plene purgatas et purgatorio ad cælum traducit: und, Chaldaeus vertit, *ab inferis deducit ad vitas æternitatis*. Rursum cum sanis morbum lethalem immittit, ac deinde iis penitentibus et supplicantiibus sanitatem vitamque restituit, ut fecit Ezechias regi, *Isaie* cap. xxxvii. *Secundo*, dum quem tot ærumnis affligi permittit, ut pene mori cogatur, ac deinde humiliatum iis liberat et prosperat. *Tertio*, cum sterilem, qualis Anna erat, fecundat et in proliis quasi vivificat, Sterilis enim est quasi lignum aridum et emortuum, juxta illud *Isaie* lv, 3: « Non dicat ennuclus: Eese ego lignum aridum. » Et Apostolus, *Rom.* iv, 19, loquens de Abraham senè et Sara sterili: « Non, inquit, infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam fere centum esset annorum, et emortuum vulvum Saræ. » Et *Ezech.* cap. xvii, vers. 21: « Siccavi lignum viride, et frondere feci lignum aridum. » Sic enim Deus arbores in hyeme detrondans et siccas mortificare videtur, in vero vero easdem frondere faciens rursus vivificare.

Allegorice, Deus mortificat Synagagam Judæorum, vivificat Ecclesiam Christianorum, ait S. Gregorius, Beda, Angelomus. Tropologicæ S. Augustinus, lib. XVII *Civit.* cap. iv, Dominus, cum in nobis carnales affectus mortificat, spirituales spiritumque vivificat: mortificatio enim carnis est vivificatio spiritus, ut docet S. Paulus. Unde Origenes: « Deus, ait, occidit Paulum persecutorem eumque vivificavit ut fieret Apostolus Christi. » Audi S. Ambrosium, *serm. De Jejunio*: « Occidit Deus primum in nobis hominem carnalem, scelera, furta per baptismum; et sic nos tanquam novos homines æternitatis immortalitate vivificat. Moritur ergo peccatis per

lavarum, regeneratur autem vite per spiritum. » Et paulo post: « Occiditur, ait, quodammodo, cum desinimus esse quod fuimus; novo enim pietatis genere in uno eodemque homine impius et adulter occiditur, ut misericors renascatur et castus. Interimitur idololatria, ut religio propagetur. Fornicator et ebriosus exstinguitur, ut continens et sobrius procreetur. Sic ergo mortificat Dominus ut vivificare faciat: sic occidit ut prosit: sic verberat ut emendet. Hæc est igitur circa homines suos tota ejus severitas, ut in his peccata puniantur, anima conservetur, auferantur detestanda vitia, virtutes optime nutriantur. »

Audi S. Gregorium hic: « Deum, inquit, ad inferos ducere, est peccatorum corda æternitatum cruciatum consideratione terrere; reducere est terribis penitentium mentes spe vite indeficientis attollere. Tunc quippe peccare desinimus, cum futura tormenta formidamus. »

7. DOMINUS PAUPEREM FACIT ET DAT, HUMILIAT ET SUBLEVAT. — Deus enim hunc pauperem facit, illum divitem; hunc humilem et abjectum, illum sublimem et elevatum, imo unum eundemque pauperem et abjectum, mox divitem et sublimem efficit, præsertim cum superbum humiliat, et humiliatum exaltat.

8. SUSCIPIT DE PULVERE EGENUM, ET DE STERCORE ELEVAT PAUPEREM. — Pagninus: *Exaltat medicum, ut selevat cum principibus, et solum gloria tenet.* Sic Job bonis omnibus ipsaque sanitate spoliatum, ac sedentem in sterquilium elevavit, et ad pristinam regni gloriam reduxit, imo eandem duplicavit. Sic Sautem ab asinis eivit ad scopulrum; sic David ab ovibus earumque limo exultit ad gloriam regni Israelis. Sic Joseph e carcere eivit ad principatum Ægypti. Mysice S. Gregorius. Deus peccatorem suscipit et pulvere, eum et veniali culpa, et stercore, cum e mortali eum per penitentiam elevat ad gratiam.

Celebrat hic Anna Dei potentiam per quinque antitheses, ut ostendat Deum posse quemlibet ex imo elevare ad summum, et vicissim ex summo in imum dejicere, ac proinde nec sublimi ac felici vane gloriantum esse in sua sorte, nec humili et misero in sua infelici fortuna desperandum: Deum enim posse utriusque vires commutare, ac reipsa sæpe commutare, cum superbos deprimit et humiles extollit, ut hic Anna exultit et Phenenna depressit.

DOMINI ENIM SUNT CARDINES (Vatablus, *columnæ*) *Glossa* TERRE, ET POSUIT SUPER EOS ORBEM. — *q. d.* Deus mundi cardines in sua habet manu et potestate: quanto magis ea que jam dixi effloere potest. Per cardines terræ Angelomus, Hugo, Abulensis, Bionysius et Jansenius accipiunt quatuor terræ extremas partes sive climata, scilicet Orientem, Occidentem, Aquilonem et Meridiem. *Secundo*, noster Sanchez accipit duos cæli polos; super hos emittuntur gyranter coeli, omnesque orbis planetarum et elementorum circa terram, quasi dicat: Sicut deus

duos polos mundi Arcticum et Antarcticum constituit, quasi duos cardines celi et terre, ut circa eos assidue moveantur et gyrentur omnes celi et elementa, quo fit ut nunc eleventur, nunc deprimantur; sic pariter Deus gyrat omnes homines omnesque creaturas, ut eas nunc elevet et beet, nunc deprimat et affligat. Verum hi proprie sunt poli celi, non cardines terre, unde super eos poli celi.

**Tertio**, alii per cardines accipiunt centrum terre; huic enim quasi basi incumbit terra totusque orbis. **Quarto**, alii accipiunt mare, dicentes cum Thalete terram quasi ratem innatare aquis, juxta illud *Psal.* xxiii: « Ipse super maria fundavit eam. » Verum hoc refellit Aristoteles et Philosophi, lib. III *De Celo*, cap. 1. **Quinto**, ergo genuine pro cardines hebraice est *צבן metsuk*, id est fundamenta sive bases et columnae terre; quare per catachresin simpliciter per illa accipias ipsam terre firmitatem et soliditatem, ipsi a Deo in creatione mundi inditiam, et semper conservatam ac conservandam; in hac enim quasi in firmis cardiibus basesque suffulta terra, stabilis, firma et immota consistit, ut non tantum se, sed et orbis omnes soliditates et elementares quasi basis et columna solidissima fulciat et sustentet. Terra enim nullos habet cardines vel bases, sed immutabilis Dei voluntas et potestas, quae eam semper fulsit et firmat, unica est ejus basis, columna et cardo, ait S. Basilius, hom. 1 *Hexaem.*, et Nazianzenus, orat. 34. Terra enim in aere est pendula, illique Dei voluntate quasi cardine firma consistit.

**Symbolice**, cardines terre sunt principes et prelati; hi enim sunt quasi bases et columnae Reipublice; ita S. Hieronymus in *Quaest.* Unde Cardinales sunt dicti, quod ipsi sua prudentia et sanctitate debeant esse cardines Ecclesiae, et columnae basesque fidelium. Ac hebraice *Adon*, id est Dominus, dicitur ab *אדן eden*, id est basis, aequae ac graeco *βασις*, id est rex, a *βασίς*, quod rex sit regni basis et fulcrum. Ita S. Gregorius, Beda, Angelomus, Jansenius et alii.

Rursus cardines Ecclesiae imo mundi sunt viri justii et sancti, ait S. Hieronymus. Nam, ut ait Rufinus, Praefat. in *Vitas Patr.*: « Quis dubitat mundum precibus stare sanctorum? » unde pro cardines terre, S. Hieronymus in *Quaest.* vertit, *afflicti* (radix enim *tsuc* significat arctare, angustiare, alligere) terre, id est humiles et pauperes spiritus, super quos aiant Hebraei Deum possidere orbem, quia eorum sanctitate et precibus stat et conservatur, ne sicut Sodoma igne caelestis ob scelera saecratur, vel aquis mergatur, uti mersus est in ultimo tempore Noe. Ita ex Hieronymo Rupertus, lib. I *De Sapiencia*, cap. xxviii, quem audi: « Et afflicti terre, qui sunt nisi humiles et contriti corde? super illos plane qui hujusmodi sunt, Dominus orbem possit: quia super eos qui praeteritam infirmitatem memoriter tenentes, humilis apud se conscientiae sunt, Dominus Ecclesiam

sua collocavit: qui videlicet tanto clementius, tanto compatiuntius eundem orbem portare possunt, quanto amplius clementis atque compatiuntis gratia se indignisse meminerunt. »

Idem Rupertus, lib. III in *Matth.* cap. iv: « Afflicti haec, ait, humilitas est, quae ad portandum orbem creaturas eos facit et fortes. » Unde R. Iohathan apud Lyranum pro *afflicti terre*, vertit *fortes terre*; vir enim, dum se suaque membra coarctat, fit fortior, sic et humilis. Talis erat Abraham, de quo S. Ambrosius, lib. *De Abraham*, cap. vi: « Unde discimus, inquit Ambrosius, quantum murus patrie sit vir justus, et quemadmodum non debeamus invidere Sanctis nec temere derogare. Illorum etenim fides nos servat: illorum iustitia ab excidio defendit. Sodoma quoque, si habuisset viros decem justos, potuit non perire. »

Et Philologus, *De Migratione Abrahamae*: « Nonne vera, ait, fulcrum generis humani justus est, suas dotes communicans et in publicum usum confertens? » Et paulo post: « Oremus, ait, ut ceu columna in domo, in humano genere homo justus permaneat ad calamitatum remedium. Nam hoc incolumi de publica salute desperandum non est. »

Sic Deus ob S. Paulum in naufragio salvavit omnes qui cum eo erant in navi, numero 270, *Actor*, cap. xxvii, 24. Sic Innocentius III Pontifex, cum S. Franciscum petentem ordinis sui confirmationem repulisset, per visionem vidit ecclesiam Lateranensem, quae est sedes Pontificis, et mater matricum omnium totius orbis ecclesiarum, labantem et ruentem inniti et fulciri humeris pauperis S. Francisci: quare illico eum quaeri et advocari jussit, ejusque regulam et ordinem confirmavit. Ita habent Chronica S. Francisci. Sicut ergo Atlas rex (et ab eo mons) Mauritanie, ob inventam Astrologiam dicitur humeris sustinere caelum: sic et Franciscus et sancti sunt Atlantes orbis.

Anagogice, Chaldaeus pro cardines orbis accipit caelum, quod Deus piis, et gehennam, quam impiis preparavit. Sic enim vertit: Ante Dominum revelata sunt filiorum hominis opera; ab inferiori parte apparuit gehennam improbis verborum suorum transgressoribus, et in justis voluntatem suam factentibus fundavit orbem.

Porro Septuaginta et ex eis S. Augustinus, lib. XVII *De Civit.* cap. iv, hic addunt: « Deus votum voverit dat, » id quod per votum peti, ut hic Annae dedit Samuelem.

**9. PEDES SANCTORUM SUORUM SERVABIT.** — Haec est posterior pars cantici, qua Anna prophetat de futuris, sicut priori hucusque de praeteritis Dei beneficiis, Deum celebravit. Prophetat autem promittique septem miracula. Primum est hoc: « Pedes Sanctorum suorum servabit, » ne scilicet in culpam, indeque in gehennam corruant; ita S. Gregorius, Unde Chaldaeus, *corpus servorum iustorum custodivit Deus a gehenna*. Per « pedes » significatur gressus, motus, actiones iustorum, quas Deus dirigit, ne ubi offendant, cespitent, corruant. Unde

eum Psalle cuique fidei jugiter orandum, praesertim dum domo vel cubiculo egreditur: « Per fice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea, » *Psal.* x, 13. Nam ut idem ait *Psal.* xc, 11: « Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabant te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum; » quia ut ait hic Abulensis: « Nulla est pars in toto corpore humano, quae magis hedi possit quam pedes; » et quia super eos tota molis corporis sustentatur.

**Mystice**, pedes animae sunt ejus affectus, quos ut dirigit fulciatque Deus, ne ad terrena labantur, jugiter invocandus est. Nam ut ait S. Augustinus in *Psal.* cxlvi: « Adimus Deum animo, non vehiculo, affectionibus, non pedibus, » passibus mentis, non corporis. Idem, Praefat. in *Psal.* cxxi: « Ad Deum, ait, ascendit volando qui ascendit amando. » Porro duo animae pedes, quibus ad Deum imus, sunt humilitas et fortitudo, ait S. Gregorius. Denique S. Bonaventura, in *Psal.* cxviii, vers. 103: « Dicitis pedibus, inquit, providere debemus, ne iniquentur, ne illaqueentur, ne subvertantur, sed puri, liberi et firmi servantur. Inquinantur autem per luxuriam; illaqueantur per avaritiam; subvertuntur per superbiam, sed servantur per sanctimoniam. De primo: Lavi pedes meos, scilicet per poenitentiam. Quomodo inquinabo illos, scilicet per luxuriam? Ecce pedum inquinatio. De secundo: Laqueos absconderunt pedibus meis. Ecce pedum illaqueatio. De tertio: Calamitates meae illico surrexerunt, pedes meos subverterunt. Ecce pedum subversio. De quarto: Pedes Sanctorum suorum servabit. Ecce pedum servatio. »

Nota: Septuaginta pro pedes vertunt annos: *Benedicisti*, inquit, annis, vel ut habent Sixtina, annos justis, dum eorum dies, menses et annos dirigit prosperat, bonis donisque suis cumulat ac promovet, ut ad annos beatae aeternitatis perveniant. Et ut explicat S. Augustinus, lib. XVII *De Civit.* iv: « Ut cum illo sine fine vivat, cui dictum et anni tui non deficient. » *Psal.* cx, vers. 28: « Ibi enim stant anni: hic autem transeunt, » imo pereunt; antequam enim veniant, non sunt; cum autem venerint, non erunt, quia cum suo fine veniunt.

**ET IMPII IN TENEBRIS** (tum corporis, uti Sodomitae, *Gen.* xix, 11, et Aegyptii, *Exod.* x, 21; tum potius mentis, scilicet imprudentiae, caecae concupiscentiae peccatorum, ac tandem utrisque in gehenna) **CONTICESCENT**, — ex vehementi horrore, pavore et consternatione, ut se mutuo alloqui solarique nequeant. Audi S. Gregorium, i part. *Pastor*, cap. xi: « Caecus, inquit, est qui supernae contemplationis lumen ignorat; qui praesentis vitae tenebris pressus, dum veram lucem nequam diligendo conspiciat, quo gressus operis porrigat nescit. Hinc etenim prophetante Anna, dicitur: *Impii in tenebris conticescent.* »

Porro « conticescent, » hoc est primo, obscuri erunt: sic enim lunam non lucentem et obscuram per catachresin vocamus silentem, juxta illud Virgilii, lib. II *Aeneid.*:

Tacita per amica silentia luna.

**Secundo**, « conticescent, » id est immobiles erunt pro stupore, sicut Aegyptii in plaga tenebrarum pavidi et stupidi non audebant sa loco movere, quasi « vinculis tenebrarum compediti, » *Sapient.* cap. xvii, vers. 2. Nam ut ibidem dicitur vers. 17: « Una catena tenebrarum omnes erant colligati. »

**Tertio**, « conticescent, » quia non habebunt quidquam excusationis, quod culpa et gehennae suae obtendant (sed maledicent sibi, parentibus, omnibusque creaturis; quae sibi peccati et damnationis fuere causa), hoc est, « convincetur et convicti silebunt. » Unde Chaldaeus vertit: *Improbi transgressores dicti sui in gehennam in tenebris judicabuntur, ad ostendendum quod non quisquam sit in quo sit fortitudo puritatis ad diem iudicii.*

Hinc gehenna vocatur hebraice *גהנון genna*, id est silentium et locus silentii. Hinc et Virgilius, lib. VI *Aeneid.*:

Et chaos et Phlegeton loca nocte silentia late.

Et Ovidius, lib. V *Fastor.*:

Mox etiam Lemures, animam dixere silentium.

Et Seneca in *Hippolyto*:

Adiit silentem nocte perpelus domum.

Est hoc secundum Annae oraculum.

« *Impii ergo in tenebris conticescent, » id est damnabuntur ad aeternas gehennae tenebras, qui hic se et sua superbe jactabant, et ubique gloriose se magnificantes personabant.*

**QUIA NON IN FORTITUDINE SUA ROBORABITUR VIR**, — ut Deo fortissimo praevaleat, vel resistere valeat. Refert haec ad id quod praecessit, quasi dicit: Ideo Deus pedes Sanctorum suorum servabit, quia ipsi cognoscentes infirmitatem suam confisi sunt in fortitudine non sua, sed Dei, cumque suppliciter invocarunt; impios vero permisit labi in peccatum et ruere in gehennam, quia ipsi in fortitudine sua confisi opem Dei invocare neglexerunt. Audi S. Augustinum in *Soliiloq.* cap. xxiii: « Sperabam aliquando in virtute mea, quae tamen non erat virtus. Et cum se volui currere, ubi magis stare credebam, ibi magis cecidi. Quod magis credidi posse per me minus semper potui. Dicebam enim: Hoc faciam, illud perficiam, aec hoc, nec illud faciebam. Aderat voluntas, non erat facultas. Aderat facultas, non erat voluntas, quam de meis viribus confidebam. Nunc autem confiteor tibi, Domine Deus meus, quia non in fortitudine tua roborabitur vir. Non est enim hominis velle quod possit, aut posse quod velit, vel scire quod velit et possit, sed potius a te gressus hominis dirigitur: »

Causam datidem S. Augustinus, lib. XVII *De Civit. cap. IV*: «Cum enim, inquit, Dominus possidere nos coeperit; profecto adversarius qui noster fuerat, ipseus fit et vincitur a nobis, sed non viribus nostris, quia non in virtute sua potens est vir.»

10. DOMINUM FORMIDABUNT ADVERSARI EJUS, — tum tempore proximo, quo Philistei a Deo per meum Samuelem tonitruis et fulguribus exterriti diffugient, uti audivimus cap. IV, vers. 7, et cap. VII, vers. 10; tum quolibet alio, praesertim tempore Christi, qui tum in hac vita demones, Pharisaeos, infideles omnes vi spiritus sui percellat et prosternat; tum maxime in die iudicii, quo eos adiget in tartara: tunc enim adeo formidabilis eis apparebit, ut dicant «montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni, quoniam venit dies magnus ira ipsorum; et quis poterit stare?» *Apoec. cap. VI, vers. 17; Osee cap. X, vers. 2; Lucae cap. XXIII, vers. 30.* Ita S. Augustinus, S. Gregorius, Lyranus, Abulensis et alii. Est hoc tertium Anae vaticinium, sequitur quartum:

ET SUPER IESUS IN COELIS TONABIT. — Hoc fecit Deus primo, cum per Samuelem oratione sua elicientem e caelo fulgura et tonitrua Philisteos percussit, ut dicitur cap. VII, vers. 40, et cap. XII, vers. 48; secundo, cum super Christum intonuit in baptismo, transfiguratione, et alias, *Joan. cap. XII, vers. 28*: «Hic est Filius meus dilectus», etc., ac rursum cum in Pentecoste per tonitruum et linguas ignis Spiritum Sanctum in Apostolos (unde Septuaginta vertunt: *Ipsae ascendit in caelos et tonitruum ut ipsi pariter voce tonarent, et vita fulgurarent, itaque Judaeos et gentes percelleret, eosque Christo subicerent.* Unde S. Hieronymus S. Paulum vocat «tonitru gentium», et Christus Jacobum et Joannem vocavit «Boanerges», id est, filios tonitruum.

Denique in die iudicii sententiam damnationis in impios detonabit et fulminabit, dicens: «Ite, maledicti, in ignem eternum.»

Mystice, tonat in anima peccatrice Deus, cum ei inficit minas metusque gehennae, ut ex terrestri fiat coelestis, imo ex terra fiat caelum. Nam ut ait S. Ambrosius, in *Psal. CXVII, serm. 12*: «Caelum dicitur, qui vitam Angelorum custodia integritatis exerceat, et corpus snum continentem sobrietate moderatur.» Audi S. Hieronymum in *Psal. CXXXIII, vers. 3*: «Melli de terra oculi sunt, et melli de caelo terra. Infelix Judas caelum fuit, et factus est terra. Paulus Apostolus, eo tempore quo persequabatur Ecclesiam, terra erat; confesus est, et caelum factus est.»

E. S. Bernardum, serm. 27 *in Cant.*: «Habet, inquit, Ecclesia oculos suos, homines spirituales vita et opinione conspicuos, fide puros, spe firmos, latos charitate, contemplatione suspensos. Et hi pluentes pluviam verbi salutem tonant in captationibus, coruscant miraculis.»

DOMINUS JUDICABIT FINEM TERRAE, ET DABIT IMPER-

TIUM REGI SUO, ET SUBLIMABIT CORNU CHRISTI SUI. — Hebraea et Chaldaea, *Messias suo*. Est hoc quintum, sextum et septimum Anae oraculum de Christo post mille et trecentos annos nascturo, quo illi eminus quasi applaudit et gratulatur; ubi advertit Annam esse primam in Scripturae quae hic exprimat nomen Messiae sive Christi. Hucusque enim in Pentateucho, Josue et Iudicibus nomen Christi non audivimus.

Nota haec tria proxime referri posse ad tempus Annae et Samuelis, ac Sanlis et Davidis, quos Samuel reges constituit et consecravit; unde Septuaginta pro מלכו *malcho*, id est regi suo, legentes in plurali מלכיהו *malchehu*, id est regibus nostris, vertunt, ipse dabit fortitudinem regibus nostris; sed sub his omnibus praecipue intelligit Christum, eorum antitypum: Christus enim solus iudicabit fines totius terre. Simili modo Isaias, cap. XIV, parabolice per casum Luciferi de caelo describit casum Nabuchodonosoris, vel potius Baltasaris: ac Ezechiel cap. XXVII, per casum Cherubini describit casum et occasum Tyri.

Sensus ergo est quasi dicitur: Deus per meum Samuelem iudicabit fines terre, et scilicet Sanctae, sive Palaestinae. Samuel enim iudex adhibet celeberrimas urbes iudicando, et lites quaslibet totius populi dirimendo; itaque totum Israel in pace et religione conservabat, ut patebit cap. VI, vers. 40.

Rursum Dominus per meum Samuelem «dabit imperium (Hebr. *וְיָצַד*, id est, fortitudinem) regi suo», primo, puta Sauli (Samuel enim unxit Saul in regem, qui proinde unctus ab eo totiter propugnavit Israelam, ac Philisteos aliosque ejus hostes prostravit). Denique Dominus per Samuelem sublimabit «cornu», id est regnum, fortitudinem et gloriam «Christi sui», puta Davidis, ut Sauli succedens eum superet, ac Israelis regnum longe lateque propaget. David ergo fuit Christus, id est unctus Domini, ac ab eo mire dilectus et electus, ut ex eo nasceretur Christus.

Quocirca haec omnia magis spectant ad Christum. Deus enim per Christum iudicavit fines terrae, non tantum Sanctae, sed totius mundi, cum omnes gentes per praedicationem Apostolorum Christi fidei et legi Evangelicae subiecit, ut Christus omnium gentium sit princeps, rex et legislator, juxta illud *Psal. II*: «Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae.» Et *Psal. LXXI, vers. 1*: «Deus, iudicium tuum regi da, et iustitiam tuam filio regis, iudicare populum tuum in iustitia, et pauperes tuos in iudicio;» quod maxime de Salomone Davidis filio, sed praecipue de Christo «struente filio et antitypo dictum est. «Deus» ergo dedit fortitudinem et imperium regi suo,» quando Christum omnium gentium regem et dominum constituit, illasque omnes per Apostolos illi subiecit: quare tunc pariter «sublimabit cornu,» id est robur, regnum et gloriam «Christi sui.»

Rursum et magis id faciet Deus in die iudicii. Tunc enim per Christum Iudicem iudicabit omnes omnium terrarum temporumque gentes et homines, ac fideles sibi obedientes caelo, infideles sibi rebelles inferno adjudicabit. Quare tunc ut rex caeli et terrae absolutus, omnibus omnino angelis et hominibus imperabit, ac tunc Deus cornu regni et glorie ejus sublimabit usque in caelum empyreum, ut ibi cum sanctis suis in omni felicitate regnet et triumphet in aeternum. Ude Chaldaeus haec referens ad tempora Antichristi, Gog et Magog sic vertit: *Facet ultimum de Gog et Magog, et exercitu gentium raptorum qui venerunt ex finibus terrae, et dabit fortitudinem regi suo, et multiplicabit regnum Messiam sui.*

Tropologicis S. Augustinus, lib. VII *De Civit. cap. IV*, haec attribuit cuilibet fideli, sancto et beato: hic enim est Christus, id est unctus, scilicet christumate Christi in Baptismo et Confirmatione; ideoque quasi athleta, victor, rex et triumphator mundi, carnis, et diaboli, cum Christo regnabit in caelo per omnia secula.

Porro haec aliter exponit R. Jonathan filius Uziel in translatione sua Chaldaica, eumque sequentes Rabbini posteriores, qui negant Christum venisse; unde haec a Christo detorqueant ad Levitarum successores, potentiam, et victorias quas habituri erant sub Samuele, et deinde sub Machabeis, quasi illas Deo revelante Anna praesciverit, et hic praedixerit. Vide Abulensem hic *Quaest. ult. et Lyranum.*

11. PUER AUTEM ERAT MINISTER IN CONSPECTU DOMINI ANTE FACIEM HELI SACERDOTIS, — nimirum discebat legis rudimenta, ac canere (hoc enim erat officium Levitarum: unde filii Samuelis fuere cantores, imo eorum praefecti, I *Paral. cap. VI et XX*), custodire tabernaculum, lucernas accendere, et caetera quae ad officium Levitarum spectabant obire, ait Abulensis; ac, ut ait S. Gregorius: «Erat fratribus utilis, Deo devotus.» Unde S. Chrysostomus, homil. *De Samuele*: «Quamquam, ait, in puero istus erat immatura, virtus tamen erat matura; omnibus enim in templum ascendentibus mille pietatis ac religionis magister factus est.» Audi S. Augustinum in *Psal. CXVII*: «Samuel quid fecit infans ad templum datus? omnes etas suas inter sancta Sacramenta Dei peregit, ab innente etate famulus Dei. Ipsiis coma promittebatur, et potus aqua erat, ait Iosephus, et quidem usque ad ejus mortem,» inquit Philo, *De Nazareno*, cap. I, vers. 57. Audi S. Hieronymum, epist. ad Laetam de *Justit. filia*: «Anna filium quem Deo voverat, postquam obtulit in tabernaculo, nunquam recepit; indecens arbitrata ut futurus propheta in ejus domo cresceret, quae adhuc alios debere cupiebat. Denique postquam concepit et peperit, non est ausa ad templum accedere, et vacua apparere coram Domino, nisi prius redderet quod debebat: talique immolato sacrificio reversa domum, quinque liberos sibi genuit,

quia primogenitum Deo pepererat. Miraris felicitatem sanctae mulieris? imitare fidem. Ipse, si Paulam miseris, et magistrum me, et nutricium spondeo: gestabo humeris, habuentia senex verba formabo, multo gloriosior mundi philosopho, qui non regem Macedonum Babylonio periturum veneno, sed ancillam et sponsam Christi erudiam; regnis caelestibus offerendam.»

Nota ante faciem Heli. Magis enim ad virtutem stimulus est, si quis videat se in conspectu viri magni, ut Pontificis vel Principis versari, ab eoque videri et notari. Audi Senecam, lib. I *de Lucilio*, epist. 10: «Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat: sic vive cum Deo, tanquam homines audiant.» Et eodem lib., epist. 11: «Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, et omnia tanquam illo vidente faciamus. Magna pars peccatorum tollitur, si peccatis testis assistat. Aliquem habeat animus quem veneretur, cuius auctoritate secretum sumum etiam sanctius faciat. O felicem qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque ejus se componat atque ordinet! Elige itaque Catonem.»

12. PORRO FILII HELI FILII BELIAL, — id est erant improbissimi et impiissimi, ideoque Deus per Samuelem Heli cum filiis castigavit, et morte punivit, ut sequitur:

13. NESCIENTES DOMINUM, — praedice, id est Dominum non servientes, legi ejus inobedientes, sacra profanantes, sacrificia sacrege violantes, carnes victimarum Deo urpientes et sibi arrogantes: quia, ut ait S. Gregorius, «pravitatem exercebant operis, sed non errabant in fide conditoris.» Talibus sacerdotibus intus at Deus per *Osee cap. IV, vers. 6*: «Quia in scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi.» Praeclare Nazianzenus Deum sic definit: «Deus est quem omnia nesciunt, omnia metuendo sciunt.» Porro Philo, lib. *De Sacerdotum praemiis*, docet sacerdotes debere semper Dei sui, ut pole ejus sacerdotes sunt, meminisse: «Dum enim, inquit, assuescunt semper alimenti partem Deo decidere, nunquam in ejus oblivione veniunt: qua in re nihil in vita potest contingere homini felicis.» Idem de Esseis ita scribit, lib. *De Vita contemptat.*: «Perpetuum habent Dei memoriam, ut ne in somnis quidem aliud eis observetur, quam imagines divinarum pulchritudinum. Et sunt in his qui somniant produm praecursus sacrae philosophiae sententias.»

Imo de quolibet fideli ita scribit D. Gregorius Nazianzenus, *orat. 33*, sub initium: «Nec enim, ait, tam saepe spiritum ducere, quam Dei meminisse debemus. Imo si dici hoc potest, aliud nihil quam hoc faciendum.»

Causam dat S. Bernardus, lib. *De Inter. domo. cap. IX*: «Nam sicut, inquit, nullum est momentum quo non fruamur Dei misericordia, sic nullum esse debet momentum in quo illum praesentem non habeamus in memoria.»

NEQUE OFFICIUM SACERDOTUM AD POPULUM. — Hoc est primum filiorum Heli peccatum, quod scilicet nescientes Dominum, nescientes pariter officium suum, tum practice, tum speculative, quia enim non curabant Deum Deique legem et officium suum observare: hinc nec curabant eam legere et scire, ne hæc scientia pareret eis conscientiam et remorsum peccati; atque hæc est causa cur multi suis libidinibus addicti fiant athei, ut scilicet eis libere indulgant sine metu numinis et vindictæ: hic enim metus eorum cupiditates vel frenaret, vel morderet, ac sensum voluptatis eorum magno pavore dolorisque sensu mixtum dilueret et infringeret; nolunt ergo conscientiam et conscientiam suis cupidis oblatrantem et oclantantem.

Taxantur hic quatuor scelera filiorum Heli ex gula manantia. *Primum*, ignorantia officii sui jam dicta; *secundum*, rapina victimarum, nimirum quod cum ex vicima tantum pectusculum et armus dexter sacerdoti deberetur *Levit. vii. 32*, ipsi quasiibet victimæ partes, præsertim pinguioribus et deliciae sibi usurparent; *tertium*, quod id facerent vi, rapientes eas inivis offerentibus; denique *quartum*, quod id facerent antequam vicima Deo per cremationem ab ipsis esset immolata, et caro cocta lixaque. Primum enim debebat Deo hostia pacifica offerri coquique, ac deinde pectusculum et armus dexter dabatur sacerdoti, reliqua caro offerenti.

Sic et apud Gentiles non nisi peracto sacrificio eo vesci licebat. Unde proverbium: « Haud immolata sacra sæpe devorat, » quod jactabantur in imtemperantem et ventri deditos, quales erant filii Heli.

17. ERAT ERGO PECCATUM PUERORUM GRANDE NIMIS, CORAM DOMINO, QUIA RETRAHEBANT HOMINES A SACRIFICIO DOMINI. — Regia legunt, quia *detrabant homines sacrificio Domini*; Hebraice est *יָנֹס מִזְבֵּחַ*, id est, ut Chaldaeus et Septuaginta, *spemabant*, respectui habebant, abominabantur sacrificium Domini, videntes illam irreligiosam avaritiam et gulam sacerdotum.

Vide hic quam grave sit peccatum Sacerdotum, ob scandalum quod datur laicis. Unde Deus, *Osse cap. iii.* « Audite, inquit, hoc, sacerdotes, etc., quia vobis iudicium est quoniam laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor. » Audi S. Gregorium, hom. 47 in *Evangelia*: « Nullum, fratres charissimi, ab aliis majus præiudicium quam a sacerdotibus tolerat Deus, quando eos quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui compositere peccata debuimus. Plerumque, quod est gravius, sacerdotes qui propria dare debuerant, etiam aliena diripiunt. Plerumque si quos humiliter, si quos continenter vivere conspiciunt, irritant. Considerat ergo quid de gregibus agatur, quando pastores lupi fiunt. » Et inferius: « Imploremus Hieremie lacrymas; con-

sideret mortem nostram, et deplorans dicat: quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum? Aurum quippe obscuratum est; quia sacerdotum vita quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infirmas ostenditur reproba. Color optimus est mutatus, quia ille sanctitatis habitus per terrena et abjecta opera ad ignominiam despectionis venit. » Lege sequentia:

18. SAMUEL AUTEM MINISTRABAT ANTE FACIEM DOMINI, PUER, ACCINCTUS EPHOD LINEO. — Ephod polymitum et gemmatum continens Rationale cum duodecim gemmis, in quibus insculpta erant nomina duodecim tribuum Israel, erat proprium Pontifici: at Ephod lineum erat vestis Levitarum, qualis erat Samuel, eratque simile superpelliceo, quali vestitur pueri chorales canentes in templo. Ita duplex hoc Ephod distinguunt S. Augustinus, *Questione XII*, in lib. *Judicum*, et S. Hieronymus, lib. *Contra Iovinianum*. Minus recte ergo Procopius et Theodoretus censent hoc Ephod Samuelis fuisse sacerdotum, illi ab Heli Pontifice concessum ob admirabilem Dei gratiam in ipso resplendentem.

Tropologice B. Petrus Damianus, lib. II, *epist. 40*: « Linum, ait, laboriose pervenit ad candorem, et clerici modo literarum studiis insuadendo, modo quibusdam gradibus ascendendo, difficile promoventur ad sacri ordinis dignitates. » Et S. Gregorius hic: « Bene, inquit, Samuelis vestis linea fuisse perhibetur, ut novi sacerdotis gloria aperte ostenderet, quod novæ pudicitie moribus splenderet. »

20. REDDAT TIBI DOMINUS SEMEN (prolem) DE MULIERE HAC, PRO FENORE QUOD COMMODASTI DOMINO, — id est pro commodato vel dono quod obtulisti et dedisti Deo, puta pro tuo Samuele, quem mihi quasi Dei Pontifici obtulisti.

21. VISITAVIT ERGO DOMINUS ANNAM, ET CONCEPIT ET PERPERIT TRES FILIOS ET DUAS FILIAS. — Ecce hic fuit fructus partim benedictionis Heli Pontificis, partim oblationis Annæ, quæ suum Samuelem Deo obtulerat: nam pro uno Samuele quinque proles ei reddidit Deus. Discant hic parentes aliquos filiorum dicare Deo; hi enim eis benedictionem in bonis tam spiritualibus quam temporalibus impetrabant.

ET MAGNIFICATUS EST PEER SAMUEL APUD DOMINUM, — hoc est crevit etate, sapientia et gratia, non tantum apud homines, sed et apud Deum, uti explicat vers. 26. Unde Samuel fuit typus Christi, de quo ait Lucas cap. ii, vers. ult.: « Jesus profectus sapientia, et etate et gratia apud Deum et homines. » Tropologice S. Gregorius: « Notandum, inquit, est quod puer Samuel dicitur, et magnificatus. Cur ergo puer, nisi quia humilis? Et cur magnificatus asseritur, nisi quia ad perfectionem celsitudinem erat sublimatus? » Et ad novæ legis prædicatores idipsum adaptans: « Puer, inquit,

magnificatus in conspectu Domini Samuel dicitur, quia novus ordo prædicatorum, etsi ad magnæ conversationis celsitudinem pervenit, humilitatis suæ virtutem non perdidit. Magnificari quippe non potest, si puer esse desisteret: quia humilitate amissa, placere omnipotenti Deo de conversationis altitudinem non valeret. »

22. DORMIEBANT CUM MULIERIBUS, QUÆ OBSERVABANT AD OSTIUM TABERNACULI. — Chaldaeus, *quæ veniebant ad arandum in tabernaculi porta*. Josephus: « Quæ ad Dei religionem accedebant, et in ea perseverabant. » Erant enim hæc femine piæ, quæ se Deo ad ei in tabernaculo serviendum dicarant, inter quas educata fuit B. Virgo, uti sunt nostræ moniales, de quibus dixi *Exod. xxviii*. Hæc verba jam desiderantur in Septuaginta. Est hoc tertium filiorum Heli scelus, scilicet luxuria, puta adultærii et sacrilegii, quod scilicet feminas Deo dicatas violenter, idque in loco sacro et tabernaculo: gula enim comes est luxuria, et venter vino æstans despumat in libidine, ait S. Hieronymus, *etiam sacrilegas*. Unde Chaldaeus, vers. 32, ait eos peccasse in domo Sanctuarii. Et S. Hieronymus in *Quest.*: « Locus tabernaculi, ait, subversus est, et propter vitia sacerdotum Dei Sanctuarium destitutum est. » Idem Hieronymus in cap. viii *Ezech.*: « In exemplum Ophi et Phinees, inquit, idolorum scelera operamur in tabernaculo Dei, et fornicamur cum his quæ se militiæ et ministerio Dei voverunt. » Hebraei apud S. Hieronymum in *Quest.*, hoc peccatum extenuant, dicendo filios Heli non concubuisse cum mulieribus, sed tantum suasisse eis copulam cum maritis tempore menstrui: item ante tempus purificationis quadraginta dierum a partu expletum; sed hæc sunt eorum figmenta, quibus verba S. Scripturæ inverunt. Denique hæc scelera sacerdotum commemorat Scriptura, ut indicetur cur Deus suscitavit Samuelem ad ea corrigendum.

Rursus, ut indicetur sanctitas Samuelis, qui inter tam improbos educatus tam probus tamen evasit. Audi S. Cyprianum, lib. *De Singularitate Clericorum*: « Mala, inquit, conversatio corruptionem seminat, cupiditatem concepit, ignominiam parit, rabiem concitat, porrigit furiam, lasciviam pascit, petulantiam nutrit, casus exallat, ruinas edificat, perditione gaudet, interitum fovet, confusionem mercatur, thesaurizat opprobrium, criminaciones exaggerat, accusationes inflammat, et catervatim in fascem glomerans numerosos indagines captivorum, per infinita dedecora simplices mores in perniciem perditurum. »

Et S. Bernardus, *epist. 24 ad Hugonem*: « Inter bonos, inquit, bonum esse salutem habet; inter malos vero, et laudem: illud tantæ facilitatis est quantæ et securitatis, hoc tantæ virtutis quantæ et difficultatis. » Quale nempe est illud « tangere piæm et non inquinari ex ea? in igne sine lesione versari, et in tenebris absque caligine esse? » ubi alludit ad illa tria Scripturæ loca: « Qui tetigerit

piæm inquinabitur ab ea, » *Ecol. xiii. 4.* « In medio ignis non sum æstusatus, » *Ecol. li. 6.* « Facta sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti tribus diebus: ubiqueque autem habitabant filii Israel lux erat, » *Exod. x. 22.*

Porro hæc filiorum Heli luxuria procedebat partim ex gula, partim ex inobedientia, quæ hæc et patri suo rebellabant. Nam, ut ait S. Gregorius, lib. *XXXV Moral. cap. xii*: « Adam, quia auctori suo esse subditus noluit, jus carnis suæ quam tenebat, amisit, ut in se ipso inobedientia suæ confusio redundaret, et superatus discretæ quid elatus amisisset. »

Et S. Bernardus, *serm. 1 in Festo omnium Sanct.*: « Anima, ait, si regnare desiderat super membra sua, necesse est ut sit ipsa superiori suo subjecta, quoniam tale invenit inferius suum, qualem se exhibuerit superiori. Armatur enim creatura ad ulciscendam sui injuriam Creatoris. Et ideo noviter anima quæ rebellem sibi invenit carnem suam, sequoque minus quam oportet superioribus potestatis esse subjectam. » Causam dat S. Augustinus in *Psal. cxliii*: « Agnosce, inquit, ordinem. Tu Deo: tibi caro (scilicet obedi) quid justus, quid pulchritudo (scilicet) pro tibi. Servi tu ei qui fecit te, ut (scilicet) est factum propter te. Si autem contempsit tu servire Deo, nunquam efficies ut tibi caro: qui non obtemperas Domino, torqueris a servo. »

24. NOLITE, FILII MEI. — Reprehendit Heli filios, sed semel duntaxat, et nimis leniter. Peccavit ergo primo, quia ob tanta flagitia debebat eos acriter et crebro objurgare; secundo, objurgatos, si se non emendarent, a sacrificiis amovere, et sacerdotio privare, ait Theodoretus, *Quest. III*, eos a se abdicare (exheredare) et verberibus afficere, ait S. Chrysostomus, lib. III *De Monast. cap. iv*, et maxime peccavit, quod eos a puero non magis ad meliora flexerit, castigari et correxerit: puero enim animi ad quilibet flexiles sunt; grandævorum vero inflexiles, utpote in prava consuetudine radicati et obdurati. Tritum est illud:

Blasphemia patrum segnes facit indulgentia natos.

Porro modum corrigendi, ut scilicet severitatem conditior lenitate, docet S. Gregorius II part. *Pastor. cap. xi*: « Necesse est, ait, ut cum peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur, magna se sollicitudine etiam districtior ipse moderetur: quatenus sic jura discipline contra delinquentes exerceat, ut pietatis viscera non amittat. » Et mox: « Curandum est, inquit, ut rectorem subditis et matrem pietas, et patrem exhibeat disciplina. » Et paulo post: « Sollicita circumspicione providendum ne ut districtio rigida, aut pietas sit remissa, etc. Erga subditos suos inesse rectoribus debet et juste consolans misericordia, et pie sævienti disciplina. » Exemplum dat Samaritanum, qui alligavit vulnera læsi, infundens oleum et vinum, *Luc. x. 34*: « Ut per vinum, inquit D. Gre-

gorius, mordeantur vulnera, per oleum foveantur. Neesse quippe est ut quisquis sanandis vulneribus praest, in vino morsum doloris adhibeat, in oleo molliorem pietatis, quatenus per vinum mundetur putrida, per oleum foveantur sananda. Miscenda ergo est lenitas cum severitate, faciendum quoddam temperamentum ex utroque, ut neque nimia asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur.

Vide de castigatione filiorum dicta *Proverb.* cap. XXVIII, vers. 14.

NON ENIM EST BONA FAMA. — hoc est, pessima est fama. Est misis.

23. SI PECCAVIT VIR IN VIRUM, PLACARI EI POTEST DEUS: SI AUTEM IN DOMINUM PECCAVIT VIR, QUIS ORABIT PRO EO? — In Deum, » non tantum eius legem transgrediendo (sic enim omnis qui peccat, in Deum peccat), sed ejus sacerdotium, sacra et sacrificia, itaque Dei sanctitatem violando et polluendo. Significat hoc peccatum non esse irremissibile, ut volvere Novatianus, sed difficilem remitti. Quis enim pro publico Dei ministro tam scelerato orare audeat? Sane Moses aliquis sit oportet. Audis Gregorium: « Quis et intercessor remanet, cum ille se transgrediendo praecipit, qui ad intercedendum pro aliis ordinatus est? » Et Origenes, homil. 10 in *Numer.*: « Qui, inquit, meliores sunt, inferiorum semper culpas et peccata suscipiunt; sacerdotes autem si delinquant aut Pontifex, ipsum suum peccat purgare peccatum, si tamen non peccet in Deum: de hujusmodi enim peccatis non facile remissionem aliquam videmus in legis litteris designari. » Et *novella* 123 Justinianus: « Si, ait, illi quibus negotium datum est orandi pro populo, indigni ministerio Dei inventi fuerint, quomodo pro populi delictis placare Deum poterunt? » Hinc S. Leo, *epist.* 90, ex Apostolica traditione, probat presbyteris aut diaconis pro crimine aliquo non esse per manus impositionem penitendi remedium concedendum, sed ab his rigidore ipsis satisfactione utendum.

Pro placari ei potest, h. braice est *וַיְבַרְכֵהוּ* pillelo, id est iudicabit, vel *וַיְסַמְכֵהוּ* cognoscat Deus (Ita Pagninus), ut si videat eum ab alio in quem peccavit prius fuisse laesum, vel aliam peccati excusationem habeat, ei pareat.

Porro Chaldaeus, Vatablus et R. David per Hebraeam *Elahim* intelligentes non Deum, sed iudicem, sic vertunt et explicant: « Si peccaverit vir in virum, iudicabit illum iudex, itemque dirimet, et eum qui innocens est eripiet; si autem in Deum, quis cum illo, vel pro illo dijudicabitur? quis se iudicem interponet? »

ET NON AUDIERUNT VOCES PATRIS SUI. — Quartum est hoc filiorum Heli scelus, scilicet contumacia et obstinatio. Causam subdit:

QUIA VOLUIT DOMINUS OCCIDERE EOS. — Nota: Prima causa, estque directa et propria, cur filii Heli non audierunt patris vocem, fuit eorum prava et perversa voluntas in malo obstinata, ob

quam noluerunt audire patris monita: sacra tamen Scriptura hic more suo causam aliam indirectam assignat, scilicet in altissimum Dei providentiam et iudicium id refert: nimirum, quod Deus noluerit eorum ob tanta scelera tolles iterata miseri, eisque dare gratiam efficacem, quae penitentem et mortem evaderent, sed permisit eos in suis criminibus volitari et obfirmari, ut eos iustissime toties merita morte puniret, ad reparandum scandalum toti populo ab eis datum, et ad exemplum terroremque aliorum sacerdotum. Solet enim Scriptura passim inculcare Dei attributa, praesertim misericordiam et iudicium, ut significet Deum omnium omnino rerum, tam bonarum quam malorum exactam habere providentiam, ut illas praemittat, has castiget. Hoc enim facit homines Deum timere et colere, eosque a peccatis coercet. Nul- lum enim magis est peccatorum frenum quam Numinis metus, et Dei vindictae seria cogitatio.

27. VENIT AUTEM VIR DEI (PROPHETA) AD HELI. — Vers. 27.

Quis hic vir? Abulensis, *Quaest.* XXII, putat fuisse Angelum specie viri indutum: R. Salomon et Rabbin recentiores censent fuisse Eleannam patrem Samuelis. Rabbin antiquiores apud S. Hieronymum in *Quaest.*, arbitrantur fuisse Phineas Pontificem, qui vixit tempore Iosue et Othonielis: censent enim ipsi Phineas esse Eliam; quare ipsum adhuc vivere et victurum usque ad Antiechristum, a quo occidetur. Sed hoc refutavit *Nun.* xxv. 13. Incertum est ergo quis fuerit hic Propheta, eo quod Scriptura ejus nomen, genus aut stirpem non exprimat.

Quando venerit ad Heli pariter incertum est. Videtur autem venisse cum Samuel adhuc esset puer, tum quia id hic ejus pueritiae subnectitur; tum quia, cum Samuel factus esset grandior, Deus eo usus est ad Heli rursus commoneendum, imo condemnandum. Ita S. Hieronymus in *Quaest.*

Porro haec propheta continet primo, reficiturque Dei beneficia in Heli collata; deinde vers. 29, ejus et filiorum peccata exprobat, demum vers. 31, quintuplicem his poenam infligit.

NEQUID NON APERTE REVELATUS SUM DOMUI (familiae) PATRIS TUI (Aaronis), CUM ESSENT (ipse ejusque filii et frater Moses) IN AEGYPTO IN DOMO PHARONIS? — Tunc enim ex omnibus filiis Israel elegeti Moses in eorum ducem, ac Aaronem in ejus socium ac interpretem, aeque ac Pontificem, ut populum ex Aegypto educerent, ac per desertum deducerent in terram promissam.

29. QUARE CALCE ABIECISTIS (Hebraice, *quare calcitrastis*, non tam tuquam filii tui, ac tu per filios tuos) VICTIMAM MEAM? — *g. d.* Quare contempseris mea sacra, proinde ac si calcibus ea abieceris?

ET MAGIS HONORASTI PILOS TUOS QUAM ME. — quia non ausus fuisti eos reprehendere et castigare, ne eos offenderes; itaque permisisti ut ipsi me offenderent, ideoque tu pariter offenderisti me. Ita S. Gregorius: « Magis, ait, Deum quam filios honoravit;

quia, dum aperta eorum peccata contemneret, lucra temporalia eisdem providebat. »

UT CONSIDERETIS PROMPTAS OMNIS SACRIFICII ISRAEL RAPELI MEI? — Ut scilicet primo comederetis carnes victimarum pacificarum (quae proprie erant populi, quia pro ejus pace et salute offerebantur et ab eo comedebantur), antequam mihi primitias adipis in altari adolerentur et cremarentur, vers. 15 et 16. Rursus primitias vocat praecipuas victimarum partes: has enim fuscina Deo eripiebatur, sibi que arrogabat servus sacerdotis, vers. 13.

30. LOQUENS LOCUTUS SUM (certe loentus sum, quasi dicat: Firmate decreveram, ut domus tua et domus patris tui ministraret in conspectu meo. — Hinc patet Pontificatum a Deo datum fuisse Heli, ac ex familia Eleazar translatum fuisse ad familiam Ithamar, ex qua erat Heli, ut patet ex eo quod Heli, abnepos Abiathar, III *Regum* II, ex Ithamar prognatus dicitur, I *Paral.* xxiv. Quare falso aliqui censent Heli propria auctoritate invasisse Pontificatum. Causa translationis ignoratur, sed videtur fuisse ignavia vel peccatum aliquod Eleazaritarum.

Porro haec fuit series et successio Pontificum per filios: Aaronsi successit Eleazar, huic Phineas, huic Abisub, huic Boco, huic Ozi, ut patet I *Paral.* cap. vi, vers. 4, et ex Josepho, lib. V *Antiq.* cap. ult. Ab Ozi translatus est Pontificatus ad Heli, qui erat ex Ithamar fratre Eleazari. Heli genuit Phineas, qui ante patrem occisus fuit in praelio, cum area a Philistaeis caperetur: loco Phineas successit filius Achitob, huic filius Achias, huic filius Achimelech, huic filius Abiathar. Addit Josephus quod Phineas, pater Heli vivente, functus sit Pontificatu eo quod Heli praesens eo fungi non possit: quod intelligit non quod Phineas fuerit Pontifex, ut videtur velle Josephus; sed quod Heli senem manentem Pontificem in administrando Pontificatu adjuverit.

Ex hoc versu patet quod Deus Heli ejusque posteris promiserat continuam filiorum in Pontificatu successionem: si videlicet illi recte eo fungerentur; sed his male eo fungentibus, minatur et praedicit huic Deus se rursus illum eis ablaturum. Id fecit sub Salomone, qui Abiathar pontificem descendentem ex Heli et Ithamar a Pontificatu amovit, eo quod contra se cum Adonia conspirasset, eumque in regem unxisset; ac Pontificem constituit Sadoe, qui oriundus erat ex Eleazar. Ita Abulensis. Mansit ergo Pontificatus in familia Heli per quinque posteros, scilicet Heli, Phineas, Achitob, Achias, Achimelech et Abiathar; inde rediit ad Sadoe et familiam Eleazari, in eaque mansit usque ad Christum.

USQUE IN SEMPERITERNUM. — non absolute ut patet, sed respectivo, scilicet toto tempore legis veteris, sive quamdiu duraret Iudaismus usque ad Christum.

31. PRECIAM BRACHIUM TUUM, — id

dignitatem et auctoritatem tuam pontificiam; id est auferam a te Pontificatum. Ita S. Gregorius, Angelinus, Rupertus, Lyraeus et Vatablus. Porro Septuaginta vertunt, *disperdam semen tuum*; Chaldaeus, *extirpabo fortitudinem senis tui*, *q. d.* Filios et nepotes tuos faciam imbecilles, invalidos, infirmos, ut non diu vivant, nec adeo senium perveniant, ut sequitur, ac tandem delebo omnem posteritatem tuam. Est haec prima poena a Deo infligenda Heli.

Symbolice, nonnulli per fortitudinem intelligunt arcam testamenti, quae capti fuit a Philistaeis sub Heli, juxta illud *Psal.* lxxvii, 61: « Tradidit in captivitatem virtutem (hebraice *fortitudinem*) eorum, » id est arcam, ait ibidem S. Augustinus, Theodoretus, Eucherius et Hugo. Arcam enim erat robur et firmamentum Israelis, quia Deum quasi vehebat.

UT NON SIT SENEX IN DOMO TUA. — Senex, id est Pontifex, ait S. Hieronymus, Angelonus et S. Augustinus. Simplicius accipit *senex* ut sonat. Sine enim se explicat vers. 33, dicens: « Morietur eum ad virilem etatem venerit. » Rursus aliqui quid Vatablum, *senex*, inquit, id est sapiens. Senem enim est sapientiam; unde a senibus dicitur et Senatus, qui est ceteris sapientum Republicae consulentiis. Poena ergo impiorum praesertim parentibus rebellium (uti fuit hic filii Heli), congrua est vite brevitas, ut ante senium moriantur, juxta illud: « Antequam dies ejus implerentur, prohibet; et manus ejus aret, » *Job* cap. xv, 32. Et illud: « Qui sublatus sunt ante tempus suum, et filius subvertit fundamentum eorum, » *Job* cap. xvi, 16. Unde David: « Viri, inquit, sanguinum et dolosi non dimidiabant dies suos, » *Psal.* lxxv, vers. 24. Et Salomon: « Noli, inquit, esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo, » *Ecles.* vii, 18. Vnde Seneca, lib. *De Brevit. vitae*, cap. vi: « Non accipimus, ait, brevem vitam, sed facimus: non inopes temporis, sed prodigi sumus. »

33. VERITATEM NON AFFERRA PENTUS VIRUM EX TE AD ALTARI MEO. — quasi dicat: Auferam quidem a tuis posteris Pontificatum, permittam tamen ut sint minores Sacerdotes vel Levitae, sed in augmentum poenae tuae et ipsorum; ut scilicet ipsi videntes se Pontificatu, tantisque ejus opibus et emolumentis spoliatis, inaniscent, ac pra amaritudine et dolore deficient et tabescent. Haec enim dicitur Heli, non in persona sua, sed posterorum. Haec est tertia poena; sequitur quarta:

ET PARS MAGNA DOMUS (familie, puta posterorum) Tuae MORIETUR, CUM AD VIRILEM ETATEM VENERIT, — quasi dicat: Morietur juvenes, non senes, idque violenta morte, scilicet « romphea sive francea, » id est gladio, ut addunt Septuaginta, et Chaldaeus: *Omnia, inquit, multitudo domus tua occidentur juvenes*. Iudicium autem cap. xxii, 42 et seq., ubi Saul occidit Achimelech Pontificem, ac nepotem Heli cum tota sua familia, eo quod pa-

Davidi. Porro *omnis multitudo*, ut



habent Hebræa et Chaldaea, idem est quod plerique, multi : nam aliquos servatos fuisse et mortem evasisse patet ex sequenti.

34. HOC AUTEM ERIT TIBI SIGNUM, — has clades posteris tuis obventuras, illas enim non vidit Heli, utpote jam mortuus; unde eorum signum et certitudinem dat ei Deus, eadem Ophni et Phinees; hanc enim ipse vivens audivit et ingemuit. Hæc est quarta Heli poena; sequitur quinta :

35. ET SUSCITABO MIHI SACERDOTES FIDELIEM. — Quis hic? nonnulli putant esse Samuelem, quem putant successisse Heli, non tantum in principatu, quasi iudicem populi, sed et in Pontificatu. Ita S. Augustinus, lib. XVII *De Civit.* iv, et in *Psalm.* xviii, vers. 2; *Retract.* cap. LV, et *Contra Faust.* cap. xxxiii; Gregorius, Eucherius, Angelomus, hic Hieronymus ad illud I Cor. i : *Cum unatibus qui invocant nomen Domini*, ubi sive de Samuele : « Quem sacerdotem fuisse illa res probat, quia et sacerdoti successit, et hostias offerebat. De quo etiam secundum historiam dictum est : Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem. » Quin et S. Ignatius, epist. ad *Magnesianos* : « Saul, ait, privatur honori regio, non exspectans summum Sacerdotem Samuelem. »

Ratio est, quia Samuel, cap. vii, vers. 9, dicitur sacrificasse et orasse pro populo, ac Saulem in regem unxisse, ac post eum, Davidem. Hæc autem sunt munia Pontificis. Favet Josephus, lib. VI, cap. ult., dicens Samuelem a Pythonissa suscitatum esse cum sacerdotali amictu; Nazianzenus quoque, *orat.* 40, Ephod Samuelis vocat stulam sacerdotalem : sic et Theodoretus et Procopius hic.

Verum contrarium videtur longe verius, scilicet Samuelem non fuisse Pontificem. Ratio est, quia Pontificatus a Deo additus erat Aaroni ejusque posteris, ex quibus non erat Samuel.

Rursum, Heli moriente Samuel erat juvenis, ac enis post Heli iudicare cepit Israel, ut ipse dicit cap. xii, vers. 2. At Pontifex nemo creari poterat antequam esset vir triginta annorum, ut docet S. Hieronymus in cap. i *Esach.* Sed hæc ratio non evincit, uti ostendam cap. xii, 2.

Tertio, quia tempore Samuelis Pontifex erat Achias abnepos Heli, ut patet cap. xiv, 3.

Denique in serie Pontificum, quam texit Josephus et alii, non ponitur Samuel, nec Scriptura usquam eum vocat sacerdotem, imo David *Psalm.* xviii : « Moses, inquit, et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus. » Ita censet Beda, Rabanus, Abulensis hic in cap. vii, *Quest.* xxx; Hugo, Lyranus, Cajetanus, Dionysius, Genebrardus, ac S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovin.* : « Samuel, ait, Levita non Sacerdos, non Pontifex fuit. » Et S. Augustinus fuse in *Quest. veteris et novi Testamenti*, cap. xlii (vel quisquis est eorum auctor, non enim videtur esse S. Augustinus). Et S. Thomas in cap. vii ad *Hebr.* lect. 3, Serarius, Mendoza, Sanchez, Tornielus et alii.

Ad argumentum adverse sententia respondeo, Samuelem, etsi ex genere et prosapia duntaxat esset Levita, subinde tamen ex dispensatione Dei sacrificasse, ut cum Saulem et Davidem unxit in reges, ideoque sacerdotem a multis (ut a Chrysostomo, Ambrosio, Augustino, Bernardo, Damiano et aliis, quos fuse citat hic Mendoza, p. 363) vocari; ac eos unxisse in reges, non ut Pontificem, sed ut Prophetam, æque ac Elias (qui non erat Pontifex) propheta Azaelem unxit in regem Syria, III *Reg.* xix, ac Eliseus per unum e suis unxit Jehu in regem Israel, IV *Reg.* ix. Porro Ephod Samuelis lineum et Leviticum erat, non polymitum et sacerdotale. Unde S. Hieronymus in *Psalm.* xviii, 6; « Samuel, inquit, Levitici ordinis regulam tenet : quod Ephod illud lineam atque candidum figuravit, ostendens candidum officii posse, qui per penitentiam nomen Domini invocans, nigredinem peccati diluerit. »

Cum ergo hic dicitur : « Suscitabo mihi sacerdotem fidelem, » intelligitur Sadoe, quem Salomon loco Abiathar creavit Pontificem, qui fideliter Deo in templo, et Christo, id est Davidi et Salomoni regi a se uncto ministravit.

Allegorice significatur hic translatio sacerdotii ab Heli et Aarone ad Christum : hic enim est sacerdos fidelis Deo. Ita S. Gregorius, Theodoretus, Angelomus, Procopius et S. Augustinus, lib. XVII *Civit.* cap. iv. Videmus vero hodie Judæos absque sacerdotio esse : « Et inter eos, inquit Augustinus, quicumque est ex Aaronico genere, cum videt sacrificium Christianorum toto orbe pollere, sibi autem honorem illum magnum esse subtractum, deficient oculi ejus, et defluit anima ejus tabe mororis; mors vero illa filiorum significavit mortem ipsius sacerdotis de filiis Aaron, inquit Augustinus, et sacerdos ille fidelis vers. 33, maxime et principaliter est Christus Dominus, » inquit Procopius, Theodoretus et alii.

Porro Christus non tantum est Sacerdos et Pontifex, sed et Christianos quoslibet efficit sacerdos et reges mysticos, juxta illud *Apocal.* i, 11 : « Fecl nos regnum et sacerdotes. » Unde S. Leo, serm. 3 in die *anniversario assumptionis sue ad Pontificatum* : « Omnes, inquit, in Christo regnantes crucis signum efficit reges; Sancti vero Spiritus unctio consecrat sacerdotes. » Et mox ostendit qua in re hoc regnum et sacerdotium consistat : « Quid enim, inquit, tam regium quam subditum Deo animum corporis sui esse rectorem? Et quid tam sacerdotale, quam vivere Domino conscientiam puram, et immaculatam pietatis hostias de altari cordis offerre? »

ET EDIFICABO HI DOMUM (familiam, posteritatem) FIDELIEM, — que scilicet fideliter mihi ministrans in Pontificatu, fideliter, id est firmiter et constanter in eo perduret. Hoc de Samuele dicit nequit : ejus enim filii æque ac Heli fuere degeneres et improbi, ut patet cap. vii, vers. 3 : « Declinaverunt, ait, post avaritiam, acceperuntque munera, et

perverlerunt iudicium. » Posteri vero Sadoe fideles firmique perstiterunt in Pontificatu usque ad captivitatem Babylonicam et eversum templum, imo et post eam, ut patet *Ezechiel.* cap. xl, 46, et ex serie Pontificum, quam texit Josephus, lib. X, cap. xi. Et ex eo Sigonius de *Republ. Hebræorum*, lib. V, cap. i.

36. FURTIVUM EST AUTEM UT QUICUNQUE MANSERIT IN DOMO TUA, VENIAT UT ORETER PRO EO. — Minores enim Sacerdotes ac Levite, cum quid peccassent, ex lege, debebant, ut laici, offerre victimas pro peccato, et Pontifex debebat orare pro illis.

ET OFFEREBAT NUMMUM ARGENTUM, ET TORTAM PANIS. — Sacerdoti sive Pontifici ut gratiam ejus caplet, hoc sine ut ab eo ad partem sacerdotalem admittatur. Ex Hebræo verti potest clarius : *Veniet ad oronem pro nummo argenti et torta panis, orando scilicet ut detur sibi quasi pauperi et famelico nummus exiguus, et fragmen panis, quod latranlem ventrem satiet.* Ita Cajetanus et Vata-

blus. Unde noster Serarius pro *offerat*, vel, ut alii legunt *offerat*, legendum putat, *aufert*, id est accipiat *munum et tortam panis*; verum Romani habent, *offerat*.

PERMITTE ME, OBSECRO, AD UNAM PARTEM SACERDOTALEM (tunc victimæ a me oblata, tum quarumlibet aliarum victimarum a populo sacerdotibus oblatarum), UT COMEDAM DE CELLAM PANIS. — Magna fuit hæc abjectio, vilitas et mendicantia posterorum Heli.

Allegorice, *bucella panis* significat sacrificium Eucharistie, quod e pane fit. Ita S. Gregorius, Eucherius, Theodoretus, Procopius. Audi S. Augustinum, lib. XVII *De Civitate Dei* cap. v : « Quod ergo addidit manducare panem, etiam ipsum sacrificii genus eleganter expressit, de quo dicit sacerdos ipse : Panis quem ego dedero, caro mea est pro seculi vita : ipsum est sacrificium non secundum ordinem Melchisedech; qui legit intelligat. »

## CAPUT TERTIUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Deus rursum per Samuelem prædicit exitum Heli; idque Samuel Heli, ab eodem adjuratus, vers. 16, candidè edicit.*

1. Puer autem Samuel ministrabat Domino corum Heli, et sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, non erat visio manifesta. 2. Factum est ergo in die quadam, Heli jacebat in loco suo, et oculi ejus caligaverant, nec poterat videre; 3. lucerna Dei antequam exstingeretur, Samuel dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei. 4. Et vocavit Dominus Samuel. Qui respondens ait : Ecce ego. 5. Et cucurrit ad Heli, et dixit : Ecce ego, vocasti enim me. Qui dixit : Non vocavi; revertere, et dormi. Et abiit, et dormivit. 6. Et adjecit Dominus rursum vocare Samuelem. Consurgensque Samuel, abiit ad Heli, et dixit : Ecce ego, quia vocasti me. Qui respondit : Non vocavi te, filii mi; revertere, et dormi. 7. Porro Samuel nequum sciebat Dominum, neque revelatus fuerat ei sermo Domini. 8. Et adjecit Dominus, et vocavit adhuc Samuelem tertio. Qui consurgens abiit ad Heli, 9. et ait : Ecce ego, quia vocasti me. Intellexit ergo Heli, quia Dominus vocaret puerum; et ait ad Samuelem : Vade, et dormi, et si deinceps vocaverit te, dices : Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Abiit ergo Samuel, et dormivit in loco suo. 10. Et venit Dominus, et stetit, et vocavit, sicut vocaverat secundo : Samuel, Samuel. Et ait Samuel : Loquere, Domine, quia audit servus tuus. 11. Et dixit Dominus ad Samuelem : Ecce ego facio verbum in Israel; quod quicumque audierit, tinnit ambæ aures ejus. 12. In die illa suscitabo adversum Heli omnia quæ locutus sum super domum ejus : incipiam, et complebo. 13. Prædixi enim ei quod iudicaturus essem domum ejus in æternum, propter iniquitatem, eo quod noverat indigne agere filios suos, et non corripuit eos. 14. Idcirco juravi domui Heli, quod non expiaret iniquitas domus ejus in Pontificatu, fideliter, id est firmiter et constanter in eo perduret. Hoc de Samuele dicit nequit : ejus enim filii æque ac Heli fuere degeneres et improbi, ut patet cap. vii, vers. 3 : « Declinaverunt, ait, post avaritiam, acceperuntque munera, et interrogavit eum : Quis est sermo quem locutus est Dominus ad te? oro te ne celave-